



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opusculum Theologico-Canonicum De Sponsalibus**

**Kugler, Johann**

**Norimbergæ, 1705**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40883**





23

M. 2223

G. II

AT.





OPUSCULUM  
THEOLOGICO-  
CANONICUM

De

*SPONSALIBUS*

*In tres partes divisum,*

Castissimis Sponsis

MARIÆ ET JOSEPHO

*Collegii consecrati, Jesu Paderbornæ.*

PATRE JOANNE KUGLER,  
Societatis JESU; SS. Theolo-  
giæ Doctore, in Alma, Cæsarea, Regia,  
ac Episcopali Universitate Olomucensi  
Soc. JESU, SS. Canonum Professore  
Publico, ac Ordinario con-  
scriptum.


---

NORIMBERGÆ,  
Sumptibus GEORGII LEHMANNI  
Bibliopolæ.

ANNO M. DCCV.

*Faint, illegible handwritten text or markings in the center of the page.*

**K**  
c  
e  
te  
à  
z  
ic  
c  
m  
h  
fo  
m  
A



# FACULTAS

*Reverendi Patris Provin-*  
*cialis Societatis JESU per*  
*Provinciam Bohemiæ.*

**C**ùm Opusculum Theolo-  
gico-Canonicū de Spon-  
salibus, à Patre Joanne  
Kugler nostræ Societatis Sa-  
cerdote conscriptum, tres  
ejusdem Societatis Sacerdo-  
tes recognoverint; potestate  
à Patre nostro Thyrso Gon-  
zalez, Præposito Generali, ad  
id mihi datâ, facultatem con-  
cedo, ut Opusculum typis  
mandetur. In quorum fidem  
has literas, manu meâ sub-  
scriptas, & sigillo officii mei  
munitas dedi. Grupnæ 3.  
Aprilis Anno 1704.

(L.S.) JOANNES MILLER.

X 2

Ad





Ad  
LECTOREM.

**A**B aliis Opera, à me Opusculum, tenuitati scilicet meæ, & temporis angustiis commensuratum accipe Lector bene-vole, de quo tamen asscurare Te possum, ex Celebriorum, nec paucorum Authorum Operibus diligenter evolutis, & omnibus, qui allegantur, utriusque Juris textibus accuratè inspectis, esse concinnatum. Theologico. Canonicum inscribere, materia suadebat, ità communis Theologis, & Canonistis, ut ei ex fundamento enucleandæ, nec soli Canones sufficiant, nec Theologia. Utrisque ut sty- lum accommodarem, Opusculi contextum methodo Canonicâ, Quæstiones verò insertas magis Theologicâ, formæ Scholasticæ alligatâ, pertractavi; Et fusiùs quidem, tum ut frequentioribus circa Sponsalia dubiis, nec passim apud alios plenè reso-



resolutis, consulerem; tum ut Opusculum melius disputationi publicæ adaptarem, utpote in arena Academica producendum, nisi vicinus Mars bonas Mecenatum intentiones aliò divertisset. Ex vastissimo Juris Canonici Oceano materiam de Sponsalibus potissimum delegi, quòd crederem præ quacunque alia pluribus profuturam; cum ejusdem notitiam utriusque fori, interni, & externi arbitris summe necessariam esse non ignorarem. Totum Opusculum, primò quidem post DEUM, castissimis Sponsis, Sponsorum prodigiis, MARIÆ & JOSEPHO, ex asse consecratum, Tibi benigne Lector defero, non ægrè laturus, si, ut fieri amat, non omnibus opusculi assertis subscripseris; Lectorem Te volui, non discipulum; hunc ipse acturus, si à jure, authoritate, & ratione magis firma attuleris. Vive & vale.

J. K. S. J.

) ( 3

IN-



# INDEX

## Rerum, in hoc Opusculo contentarum.

*Prior numerus partem designat, al-  
ter est marginalis.*

### A.

**A**bsolutio à censura, aliquando non pe-  
tenti danda. 1. 70.

Ætas pro quibusdam actibus physicè com-  
pleta requiritur. 1. 91. & seq.

Ætas septennii requisita pro Sponsalibus 1.  
19. physicè completa. 1. 91. an peccent  
priùs contrahentes? 1. 80.

### B.

Bona Matrimonij. *Vide Matrimonij bo-  
num.*

### C.

Conditio de futuro. 2. 10. differt à Causa,  
modo, & demonstratione. 2. 13. impossi-  
bilis irritat sponsalia 2. 12. inculpabiliter  
non impleta an obsit? 3. 96. & seq. Mul-  
ti-

triplex, ejusq; natura. 2. 8. & seq. pœnalis  
 adjecta, non obligat 1. 42. *Conditio: Si  
 Pontifex dispensaverit; non irritat Spon-  
 salia. 2. 54. Nisi in certis casibus. 2. 55. 2.  
 62. Vide Matrimonium. Sponsalia.*

Copula carnalis sponsalibus adjecta, jam  
 non constituit matrimonium 3. 70. *Vide  
 Sponsalia.*

## D.

Declaratio quænam sit authentica? 2. 98.

Deflorans spontè consentientem ad nihil ei  
 obligatur. 2. 40.

Deflorata cum promissione Matrimonij te-  
 netur urgere nuptias. 3. 76. *Vide Fornica-  
 tio. Promissio, Stuprum.*

Denuntiationes Matrimonio præmittendæ,  
 1. 16.

Dispensatio pro impeditis sponsis, per quem  
 petenda. 2. 62.

Dispensare solus Pontifex potest in Sponsali-  
 bus dissolvendis. 1. 71. 1. 18.

Dissolutio Sponsalium absq; Judicis autori-  
 tate valet ex causa certa, 3. 28. Non verò  
 ex dubia. 3. 29.

Damna ex dissolutione sequi solita. 3. 72.  
 Quid agendum si cedat in infamiam par-  
 tis. 3. 30. *Vide Sponsalium dissolutio.*

## E.

Exhæredatio prolium. *Vide Parentum con-  
 sensus.*

F.

Fornicatio Sponsi, est circumstantia in confessione aperienda. 2. 24. Licet non sit adulterium. 2. 29. solvit Sponsalia. 3. 13. & seq. quamvis esset vi extorta. 3. 83. Sponso utroq; fornicante, licet utriq; resilire. 3. 89. *Vide Sponsalium Dissolutio. Item oscula.*

H.

Honestas publica. *Vide Impedimentum publicæ honestatis.*

I.

Impedimentum malitiosè inductum an deobliget inducentem? 3. 2.

Impedimentum Matrimonij, & Sponsalium 1. 17. & seq. Matrimonij contracti plenè probandum. 3. 4. non verò contrahendi. 3. 3.

Impedimentum publicæ honestatis 2. 14. durat dissolutis Sponsalibus. 2. 92. Origo ejus; & quàm procul dirimat. 2. 15. & seq. Non retroagit. 2. 18. etiam datur inter Sponfos vitio laborantes. 2. 27. ex Sponsalibus invalidis non oritur. 2. 88. Utrùm ex Matrimonio clandestino? 2. 78. 82. An ex publico, sed irrito? 2. 88. *Vide Matrimonium clandestinè*

In impedimento voti & Sponsalium solus Pontifex dispensat. 1. 18. vide *dispensare.*

Juramentum quando probet? 1. 24.

Le<sup>a</sup>

L.

Leges & jura sunt defrequenter contingen-  
tibus. 3. 43.

M.

Matrimonij bonum triplex. 2. 71. Matrimo-  
nium clandestinum. 2. 4. jam irritum, cum  
potestate liberè discedendi. 2. 5. Semper  
erat illicitum, 2. 5. Vim Sponsalium ha-  
bet inter impuberes. 2. 74. Non verò in-  
ter puberes. 2. 72. vide *impedim. publica  
honest.* Conditionatum an validum? 2.  
10. 2. 58. vide *conditio.*

Matrimonium dissolvit Sponsalia, remanen-  
te debito reparandi damna. 3. 11. & obli-  
gatione non plenè extincta. 3. 77.

Matrimonium indissolubile. 3. 1.

Metus gravis quis? 1. 33. irritat Sponsalia.  
1. 34. An etiam alios contractus indissolu-  
biles? 1. 37.

Mora inculpabilis an obsit? 3. 98. vide *Ter-  
minus.*

O.

Oscula, tactus, & amplexus cum alio, dis-  
solvunt Sponsalia. 3. 15. 3. 92. An sponsis li-  
cita? 2. 23.

P.

Parentum consensus, non est de essentia  
Sponsalium. 1. 104. contracta per Paren-

tes pro impuberibus, an obligent? 1. 98.  
Utrùm exhæredare possint proles absq;  
suo consensu contrahentes? 1. 113.

Promissio ante acceptationem non obligat.  
1. 57. & seq. Nisi ab adulto fiat infanti. 1.  
20. Ficta, cum defloratione puellæ obli-  
gat ad eam ducendam. 2. 40. Nisi quid  
obstet. 2. 43. & 44. *vide deflorans, & de-  
florata. Sponsalia.*

Promissio purè liberalis quid sit? 1. 63. quo-  
modo obliget. 1. 65. 2. 21.

## R.

Resiliens à Sponsalibus, an, & quando peccet,  
vel ad expensas refundendas obligetur?  
2. 7.

## S.

Sponsalia clandestina. 2. 64. & 65. delibera-  
ta, & voluntaria. 1. 4. & seq. dubia. 1. 13.  
ficta, an, & quomodo obligent? 1. 22. 23.  
Impuberum, quando, & quomodo rescin-  
dantur? 1. 20. indeterminata quoad per-  
sonam? 1. 21. irrita, voto castitatis super  
inducta, nisi deflorata sit Sponsa, voti ig-  
nara. 3. 10. *vide votum.* Jurata non ob-  
stant ingressui in Religionem, nisi copula  
intercesserit. 2. 48. libera esse debent di-  
rectè. 1. 25. manifestata signo sensibili. 1.  
10. & seq. Matrimonio præmittenda. 1.  
16. Mutua. 1. 56. obligant. 2. 1. & quidem  
graviter. 2. 20. & seq. quando executioni  
ni

ni danda? 2. 6. quomodo probanda? 1.

23. 24.

Sponsalia *contracta* cum duabus sub conditione. 2. 11. cum Hæretico an valida? 1. 114. an licita? 1. 116. in ebrietate. 1. 25. per literas 1. 12. per Parentes, *vide Parentum consensus*; in passione. 1. 6. & seq. à tacente. 1. 16. & 1. 62. vivente conjugē. 2. 56. 3. 2.

Sponsalium *Dissolutio*, per absentiam Sponsi. 3. 16. quamdiu hic expectandus? 3. 17. 18. consensu mutuo. 3. 5. etiam propria autoritate facto, licet jurata. 3. 6. 7. propter divitiarum, aut nobilitatis augmentum superveniens. 3. 107. propter formam perditam. 3. 101. propter fornicationem. 3. 15. *Vide fornicatio*. per matrimonium superveniens, non verò per Sponsalia. 3. 11. 12. Licet per copulam confirmata. 3. 67. Nisi aliquando per accidens. 3. 68. propter mutationem partis, 3. 22. præsertim dolosam. 3. 23. circa quæ bona hæc fiat. 3. 24. & seq. per Religionis ingressum. 3. 8. ex parte remanentis tantum, non verò ingredientis 3. 31. & seq. propter terminum elapsam 3. 19. & seqq. *vide Terminus*. Varijs modis fit ea dissolutio. 3. 1. & seq. *Vide votum, etas.*

Sponsalium nomen, & significatio 11.

Sponsian, quomodo, & à quo Judice cogi possint, ad Sponsalia implenda. 1. 70. Vitioli



“☉ (o) ☉”

tiosi sæpe tenentur sponsalium executionem impedire. 2. 27. aliquando etiam comparti vitia prodere, saltèm majora. 2. 28. non tamen suam occultam fornicationem. 2. 26.  
Stuprum inferentis obligatio. 2. 40.

T.

Terminus in contractu præfixus. 3. 20. & seq. etiam inculpabiliter à comparte non servatus, liberet à Sponsalibus. 3. 95.

V.

Votum castitatis superveniens non dissolvit sponsalia. 3. 44. & seq. nisi Sponsa voti ignara fuisset deflorata. 3. 56. Votum religionis irritat sponsalia. 3. 9. quid de aliis votis sentiendum? 3. 9. 10. Votum simplex Castitatis in Societate Jesu emissum, dirimit etiam matrimonium superveniens. 3. 46.

A. M. D. G.



OPUS.



OPUSCULUM  
THEOLOGICO-  
CANONICUM.

DE SPONSALIBUS.

PARS I,

§. I.

De Sponsalium Significatione, De-  
finitione, & Proprietatibus.

**S**ponsalia dicta sunt à sponden-  
do: nam moris fuit veteribus,  
stipulari, & spondere sibi uxores  
futuras. l. 2. ff. de Sponsal. Unde  
& Sponsi, Sponsaque appellatio  
nata est. l. 3. eod. tit. Minus usitatè nomen  
Sponsalia significat munera Sponsæ data. i. Reg.  
18. v. 25. Usitatius etiam per Sponsalia de præ-  
senti intelligitur matrimonium nondum con-  
summatum. Matth. 1. v. 18. c. Tertio loco, 13.  
de Præsumpt. c. 2. & fin. de Sponsa duorum. c.  
Conjuges. 6. c. Qui desponsat am. 12. XXVII.  
q. 2. hinc Conjuges post copulationem coram  
Sacerdote primâ nuptiarum die, non vir, aut  
uxor, sed à Matrimonio rato Sponsus, & Spon-  
sa

A

sa

sa salutantur. Nihilominus sponsaliorum appellatione non nisi improprie matrimonium verbis de presenti conceptis contractum continetur. Pius V. constit. Ad Romanum, quam citat Canis. super tit. de Sponsal. & habetur in 70. Decretal. l. 1. tit. 1. c. 2. Proprie, & communiter per Sponsalia intelligitur promissio futuri matrimonij; & sic accipiuntur in dubio; arg. c. In nostra 8. de Injuriis, l. 3. §. hac verba. ff. de negotiis gestis. l. Non aliter 69. ff. de Legatis 3. Similiter in dubio nomen Sponsi, aut Sponse accipitur proprie pro ijs, qui matrimonium futurum promiserunt; teste Palao de Spons. disp. 1. p. 1. n. 4. ex Covarruv. & Gobat ex Riccio, & Peretz; in materia tamen favorabili nomine matrimonii, etiam Sponsalia, & nomine uxoris, Mariti, vel Conjugum, Sponsi, vel Sponse designantur, & vicissim; ut multi docent cum Sanchez lib. 1. disp. 1. à n. 2. arg. c. Odia. 15. l. 6. & l. 5. C. de bonis quæ liberis & c. Nisi alicubi (ut sæpe fit) aliud, vel ipsa lex exprimat, vel communis, aut frequens usus loquendi suadeat, vel ratio legis, & mens Legislatoris, aut disponentium intendat; ut exemplis probat König super tit. de Sponsal. n. 4. Et sic benè Laymannus, & Palao ex Covarruvio Regulam Sanchezij negant esse Universalem.

2. Sponsalia definiuntur esse futurarum nuptiarum mentio, & repromissio l. 1. ff. de Sponsal. c. Nostrates 3. XXX, q. 5. Vel Promissio mutua futuri matrimonij, Seu nuptiarum;

rum. S. Th. in Suppl. q. 43. a. 1. Vel denique, ut omnes conditiones essentielles clarè exprimantur; *Promissio voluntaria, deliberata & mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonij; inter personas jure habiles.* Ilfusus Tr. 6. disp. 9. Q. 1. a. 1. Sporer in suo Tyrocinio Sacram. p. 4. n. 133. addit: *Verax, ac Seria; Absoluta, & non conditionata, ut statim obliget.* Juverit particulas singulas explicare.

3. Dicitur 1<sup>o</sup>. *Promissio*; nam solum propositum non obligat. Debet autem promissio esse directa, & immediata; nam ipsa quoque Sponsalium promissio est mediata nuptiarum promissio, differt tamen à sponsalibus tanquam promissio rei exhibendæ, à promissione rei exhibitæ inquit Wagnerek in rubr. de Sponsal.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *Voluntaria*, & quidem formaliter, ac immediatè, ut dicitur Q. I. n. 25, *non coacta* (de qua conditione fusè agit Sanchez toto lib. 4. per 27. disputationes) idcirco Laymannus, Varro & alij Sponsalia derivant à *Spondendo*, quod est *Spontè* promittere, ità ut sint *Spontanea*, & sinè metu; de quo Q. II. & III. item sinè errore: nam *errantis nullus est consensus, nec voluntas. l. cum testamentum, §. C. de J. & facti ignorant.* Cum, ut Julianus scribit, *non consentiant, qui errant, quid enim tam contrarium consensui est, quam error. l. 15. ff. de Jurisdic. & sicut error personæ, & conditionis conjugii consensum non admittit c. un. XXIX, q. 1.* ità nec

Sponsaliorum, quæ etiam sæpe dissolvitur error, aut deceptio in qualitate, ut dicitur *parte 3. n. 22.*

5. Denique per *lij Voluntaria*, excludit Insanus amentes, nempe constanter. *c. dilectus 24 de Sponsal.* Nam furor quin Sponsalibus impedimento sit, plusquam manifestum est. *l. 8. ff. eod. tit. c. 27. XXXII. q. 7.* Si tamen quis deliret in uno tantum genere, & in aliis sapiat, poterit sponsalia contrahere, idem est de eo, qui contrahit, dum habet lucida intervalla; teste Pirrhing, *Super tit. de Sponsal. n. 11, vide Sanchez l. 1. disp. 8.* König tamen censet, non esse capacem Sponsalium, qui in uno genere delirat, si talis amentia sit, ut sibi non tantum persuadeat falsa, sed etiam impossibilia; v. g. se esse coreum, vitreum &c. dicta de amentibus, intelligenda etiam sunt, de plenè ebriis, utpote eo tempore actus humani, & contractus incundi incapacibus. *Sanchez l. c. n. 19. vide Q. I.*

6. Dicitur 30. *Deliberata*; nempe plenâ deliberatione, quæ sufficiat ad peccatum mortale. Prob. omnis promissio talem deliberationem requiri, ut docet *Lessius de F. & F. l. 2. c. 18. n. 2. ex Navarro.* ergo & hæc. 20. In voto talis deliberatio requiritur; ut docet idem *c. 40. n. 2. ex Sylvestro, Cajetano, Soto, Navarro,* cum communi; ergo etiam in Sponsalibus. 30. Cum Sponsalia obligent sub mortali, necessaria erit tanta deliberatio, quanta ad mortale sufficit, ita plerique cum *Sanchez l. 1. Disp. 8. n. 5.* Ubi multos citat, nec paucos *Palanus. D. 1. p. 2. n. 4.*

7. Ma-

7. Majorem deliberationem Bonacina requirit, eam nempe, quæ præsentia, & futura, aliasque circumstantias perpendat; sed tantam non requiri, benè probat Sanchez loco cit. à paritate voti; *ex c. venientis 2. de voto & c.* & ex eo, quòd ad contrahenda Sponsalia septennij ætas sufficiat. *C. 4. 5. 13. & c. un. in 6. de desponsat. impub. in qua adeò tenera ætate, tam matura deliberatio sperari non potest; ita cum Sanchez tenent Guttierrez, Angelus, Boss. König & alij, & præsertim Suarez hoc demonstrat de voto tom. 2. tr. 6. c. 9.*

8. Ex his infertur, valere Sponsalia, in calore iracundiæ, aut cæstro amoris, vel libidinis contracta, nisi his passionibus (quod tamè in foro externo regulariter non præsumitur) ita mens perturbaretur, ut eo casu peccati mortalis capax non maneret. Similiter contra Gothofredum, & Aloys Riccium cum Sanchez *l. 9. D. 8.* benè docet Gobat *de Spons. à num. 25.* & ex hoc Sporer, in foro externo præsumi sufficientem deliberationem habuisse eum, qui ante, aut intrà ipsam copulam carnalem promitteret matrimonium; sicut præsumeretur sufficientem habuisse pro peccato mortali. Nisi mulier cognita, esset prorsus imparis conditionis, vel aliàs ab ea semper abhorruisset; vel in extraordinario cæstro, ex verbis, forma, tactibus singulariter illecebrosus orto, abreptus fuisset, & *Hauholdus tom. 3. tr. 9. n. 5. de J. & F.* universaliter docet, ad inducendam obligationem sufficere promissionem factam ex ingenti passione, dicens esse conclusionem apud Theologos certam; & vel

à posteriori sufficienter probatam, quia alioquin  
 omnis vehemens passio excusaret à mortali.  
 2<sup>o</sup>, vacillarent plurima matrimonia, & Spon-  
 salia, in passione contracta, de quorum tamen  
 valore nemo dubitat. 3<sup>o</sup>, à potiori irriti essent  
 omnes contractus ex metu initi. Unde *Gobat*  
*num. 27.* benè asserit, risu explodendum, qui  
 pro tali Sponso absolviendo ageret; cùm ob-  
 stet praxis Curiarum ( Neapolitanâ fortè ex-  
 ceptâ apud Riccium ) & communis Doctorum  
 sensus; nec ullus hactenus quæstionem moverit,  
 utrùm talis pollicitatio subsistat: Aliàs pariter  
 dici posset ex defectu libertatis olim non valuis-  
 se matrimonia, quæ eo ipso, nullo contradi-  
 cente, præsumebantur valida, si Sponsus Spon-  
 sam carnaliter cognovit *c. veniens. r. 5. Et*  
*c. Is qui 30. de Sponsal:* Accidit quòd in ob-  
 lecuris Judex procedere debeat, secundum id,  
 quod plerumque fieri consuevit. *c. Insufficiamus*  
*45. R. J. in 6.* atqui prædicta Sponsalia plerum-  
 que sufficientem deliberationem habent, ergo.  
 Nec juramento juvari poterit; quia nisi semi-  
 plena probatio præcedat, non solet hoc alicui  
 concedi in præjudicium tertij, *arg. c. Cùm con-*  
*tingat 28. de Jurejur:* In foro tamen inter-  
 no, Sponsalibus non obligaretur, qui sciret,  
 se in prædictis casibus ità fuisse abreptum, ut  
 non habuerit libertatem tantam, quantâ suffi-  
 cit, pro peccato mortali. *arg. de uno aliud*  
 9. Dicitur 4<sup>o</sup>. *Mutua;* de cujus particula  
 veritate aget *Q. IV.*  
 10. Dicitur 5<sup>o</sup>. *Signo sensibili expressa:* quia  
 sine

finè aliqua manifestatione, nec contractus fieri; nec promissio acceptari, adeoque nec obligare potest. ità Palaus *D. 1. p. 2. n. 8. cum Sanchez, Vasquez. Conink, item Ilfunus, Wagnerek & alii.* Unde quia surdus, mutus, & simul cœcus talis signi percipiendi incapax est, mortaliter loquendo etiam incapax erit Sponsaliorum, ut docet Sanchez cum pluribus, *l. 1. D. 8. n. 13.*

II. Optimè quidem contractus Sponsalitiis verbis exprimitur; ut insinuat *c. 1. de Sponsa duorum V. corde & ore. C licet. 3. eod. tit. c. Tua. de Sponsal.* cum hæc inter signa principatum obtineant; & verbis initus facilius probari possit: nihilominus etiam alia signa sufficere certum est; ex *cap. cum apud. 23. & cap. Tua 25. de Sponsal.* valentque sponsalia (more aliorum contractuum) quibuscunque signis expressa, cum nullibi irritentur: ut docet *Card. de Luca & Barbosa apud P. Wex in Opus. Canon. Trid. item Pirrhing, Wagnerek & alii,* & præsertim de ipso matrimonio hoc solidè probat Sanchez *l. 2. D. 31. n. 5.* imò & licita esse, etiam in non mutis, docent complures; cum nullum pro verbis præceptum extet, & canones in oppositum citari soliti non loquantur de sponsalibus, sed de matrimonio (quanquam juxta Mastrium *Disp. 7. de matr. n. 93.* multosque alios, ab eo citatos, etiam hoc sinè formalibus verbis ex rationabili causa licitè conficiatur) & facilè explicari possint, quòd verba suadeant tanquam Signa clariora,



riora, non verò præcipiant: dummodo alia signa verbis substituta, sint juxta consuetudinem loci manifestativa consensûs interni. Si enim juxta num. 15. Sponsalia solo silentio contrahi possunt, cur non quibuscunque signis consensûs interni expressivis? Sicut à pari: *Nutu etiam relinquitur fideicommissum. l. nutu 21. ff. de legat. Bonacinna de Sponsal. q. 1. punct. 1. n. 9.*

12. *In Sponsalibus constituendis parvirefert, per se, & coram, an per internuntium, vel per epistolam, an per alium hoc factum est, l. fin. ff. de Sponsal.:* ut exemplis König probat *super tit. de Sponsal. n. 34.* dummodo internuntius, seu Procurator, habeat mandatum speciale, & per se ipsum agat, nec sit revocatus, antequam pars altera promissionem acceptaverit. *arg. c. fin. de Procurat. in 6. §. 3. Instit. Juris Canon. de Sponsal.* Quòd si Principalis promissionem revocet, antequam acceptetur, non tenent Sponsalia, quamvis revocatio, nec Procuratori, nec parti innotuisset. *§. 19. Inst. §. Can. de Procurat.* Tenent autem immediate post acceptationem, etiam antequam ea Principali innotescat. *Gobat ex cap. Potest quis 68. de R. J. in 6. junctis Interpretibus.* Similiter ferè discurrendum est de Sponsalibus per literas contractis, quæ valent, si literæ non sint revocatæ, antequam Sponsa promissionem acceptaverit, sive rescribendo; sive coram aliis ad eam rem convocatis, reciprocum animum suum declarando. König *l. c. ex Nicolao de Passeri-*

*Passeribus* Literæ amatoriæ, in quibus Scribens, puellam vocat Sponsam suam, non plenè probant Sponsalia, sinè aliis indiciis, Licèt inter æquales præsumptionem pariant; & probationem juvent. Idem citans *Rotam dec. 772. n. 9. p. 2. Rec.*

13. Si verba, quibus sponsalia contrahuntur, dubia sint, in foro interno in quo quis suorum verborum interpret est, standum erit intentioni contrahentium; imò etiam in foro externo, si de intentione loquentis constet. *Nam verba sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis. in Summa. c. Intelligentia. 6. de V. S. & in conventionibus contrahentium voluntatem potius, quam verba spectari placuit. l. 219. ff. eodem tit. quæ quandoque deprehenditur ex consuetudine loquentis, quandoque ex consuetudine regionis, quandoque verò ex iis quæ præcedunt vel sequuntur. Canis. ex l. si servus 50. §. fin. ff. de Leg. 1. Super c. 9. de Spons. Cæterum Judex spectare debet Sensem verborum communiter in provincia receptum. l. non aliter 69. ff. de Leg. 3. c. ex literis 7. de Sponsal. Pirrhing, Wagnerek, alique interpretes hujus cap. & passim Doctores; Non enim ex opinionibus Singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debent. l. Labeo 7. §. 2. de Suppellect. leg. & l. 10. eod. tit. junctâ Glossâ. & L. Semper in stipulationibus. 34. ff. de R. J. ubi multa huc pertinentia habent interpretes.* In dubio an adfuerit animus se obli-

A 5

gandi,

gandi, indicandum est, quòd adfuerit *Bonac.*  
*de Sponsal. q. 1. p. 1. n. 14. & 15.*

14. Inter verba dubia, sunt illa: *Non con-*  
*traham cum alia à te, vel quam tecum,*  
*vel praterquam tecum, vel nisi tecum, nolo*  
*aliam nisi te &c.* quæ (ut multi docent cum  
*Sanchez l. 1. D. 19.*) non constituunt sponsalia,  
 nisi aliud circumstantiæ persuaderent; quia sunt  
 tantum conditionalia, nempe: *Si aliquam du-*  
*xero, ducam te.* Plures alias promittendi formu-  
 las dubias. Idem adducit, & resolvit, *Disp. 18.*  
 Item *Zoësius Super Tit. de Sponsal. in Decret.*  
*à n. 9. & optimè Gobat in Theol. Experim. de*  
*Sponsal. à num. 48. & ex his, & ex Tambu-*  
*rino Sporer Tyrocin. Sacram. de matr. c. 1. à*  
*n. 155. Gobat autem à num. 71. pro dignoscen-*  
 do, an verè Sponsalia contracta sint, ponit se-  
 quentes regulas. 1<sup>a</sup>. Qualiæcunque verba, aut  
 signa adhibeantur, Sponsalia irrita sunt, si  
 probari possit; vel ex defectu notitiæ, vel ex  
 alia causa consensum defuisse. 2<sup>da</sup>. Verba po-  
 steriora, vel repromittentis dubia, aut æqui-  
 voca, accipi debent in sensu priorum, aut prius  
 promittentis, vel de promissione tractantis; si  
 hæc clara sint; nam verba sumi debent juxta  
 subjectam materiam: *arg. c. Intelligentia 6.*  
*de V. S.* 3<sup>a</sup>. Judex procedere debet juxta com-  
 munem Verborum Sensum; ut dictum est *n.*  
*preced.* 4<sup>ta</sup>. Si verba aut signa ita dubia, &  
 obscura sint, ut nec quidem probabiliter mens-  
 loquentis conjici possit, standum erit pro li-  
 bertate in Sponsalibus, ut fusè probat; quæ  
 regula

regula tamen non valet, dum agitur de Matrimonij semel contracti dissolutione. *arg. c. fin. de Sent. & rejudic. 5<sup>ta</sup>*. In dubio magis favendum est fœminis, quam viris, quòd hæ sapius, & facilius decipiantur, ità Gobat cum Sanchez, Henriquez & aliis.

15. Quanquam, qui tacet consentire videatur, R. 43. J. in 6. tamen silentium puellæ, & vicissim, dum ei promittitur matrimonium, non habetur pro repromissione, inducente Sponsalia; *Sanch. l. 1. D. 23. n. 7. Laym. l. 1. tr. 2. c. 3. n. 3. Coninck & alij*, quia dicta regula tantum habet locum, dum agitur de tacentis favore, vel commodo, non verò de obligatione: ut regulam explicant *Layman. Canicius, Pirring, Streinig, & passim alij*. Unde *is qui tacet, non fatetur, R. J. 44. in 6.* Nihilominus si Pater, vel mater, loco filij, aut filix spondeat, ijs non contradicentibus, si *præsentes* sint, & probabiliter etiamsi *absentes* (ut conformiter ad *cap. Un. §. fin. v. absentes & tacitè de desponsat: impub. in 6.* docet *Palaus Disp. 1. p. 4. n. 14.* cum *S. Th. Paludano, Soto, Henriquez* contra *Sanchez, & Gutierrez, alijsq;*) modò ijs à Parentibus notificetur, tunc in foro externo tale silentium æquivalet sensibili repromissioni, & tacitæ ratificationi *cap. cit.* Supponuntur enim Parentes res prolium optimè velle agere; *arg. l. 22. §. fin. ff. ad l. Ful. de adulter. coerc.* proles autem ex naturali amore, & reverentia Parentibus debita, præsumuntur reclamaturæ, si contractus displiceret. Idem

aliqui dicunt de Sponsione Fratris, Tutoris, vel Curatoris, sed minùs probabiliter teste Illung. ratio est ex Palao; quia contractus Sponsalium ità jure naturæ personalis, & liber est, ut nec Parentum Sponsio loco filiorum tacentium facta valida esset, nisi lex positiva pro Parentibus staret; quæ cum non stet pro aliis, ad illos extensio fieri non poterit: præsertim cum erga alios, nec eadem reverentia, & amor, nec reciprocè tanta eorum cura præsumi possit, vide Sanch, l. I. D. 23. n. 7. *Wagnerek Super c. I. de matrimonio contracto contra &c.*

16. Dicitur 6<sup>o</sup>. *futuri matrimonij*: ut distinguantur à Sponsalibus de præsentì, hoc est à matrimonio; cui Sponsalia regulariter, & ex decencia præmittuntur, nè illud ex inconsulto impetu, & sinè sufficienti inquisitione impedimentorum celebretur; ad quæ faciliùs deprehendenda ex præcepto Ecclesiæ graviter obligante, Sponsalia per ternas denuntiationes, seu proclamationes, aut banna in Ecclesia promulgari solent. *c. fin. de desponsat. clandest. Trid. Ses. 24. c. I. & 5. de reform. matrim.*: Valeret tamen matrimonium, imò licitum est, quamvis ex justa causa, & licentia (*arg. l. Quæsitum 9. ff. de Sponsal. v. si vero Sponsalia non præcesserint.*) nec Sponsalia, nec denuntiationes præmitterentur, ut si miles, aut Concubinaris ad prolem legitimandam coram Parocho omissis his Solennitatibus copularetur. *Pirrhing. 2. 6. de Sponsal. Gobat, König &c.* Similiter etiam valent, & licent Sponsalia clandestina, ut dicitur *parte 2. Q. 6.* quamvis irrita sint

ta sint clandestina matrimonia, juxta *Trid. ff.*  
 24. c. 1. *de reform. matrim.* ita ut nec vim  
 Sponsalium habeant inter *puberes*, ut dicitur  
*parte 2. Q. 7.* bene tamen inter *impuberes*,  
 cum inductione impedimenti publicæ honesta-  
 tis c. *Un. de desponsat. impub. in 6.*

17. Dicitur 7<sup>o</sup>. *Inter personas jure habi-*  
*les* seu nulli impedimento subjectas; aliàs enim  
 cessaret finis talium Sponsaliorum, si vi illorū suo  
 tempore matrimonium contrahi non posset; ad  
 quod non daretur obligatio; cum hæc non  
 detur ad objectum inhonestum vel impossibile.  
 vel invalidum, quamvis promissio illius jura-  
 mento fuisset confirmata, c. *In malis. 5. c. In-*  
*ter cetera 22. XXII. q. 4. c. quanto. 18. de Fu-*  
*rejur. Reg. 69. f. in 6.* Si tamen impedimen-  
 tum fuerit auferibile per dispensationem; sub-  
 sistent Sponsalia conditionata, juxta dicenda  
*parte 2. Q. V.*

18. Porrò alia impedimenta sunt dirimentia,  
 quæ matrimonium irritum, alia impediencia,  
 quæ illicitū reddunt. Hæc olim satis multa erant,  
 juxta tritos versus: *Ecclesia vetitum &c.* Sed  
 hodie (exceptis Sponsalibus cum alia prius initis,  
 & non dissolutis; voto simplici castitatis, cæli-  
 batus, Religionis, vel Sacrorum ordinum; in-  
 terdicto Ecclesiæ, & tempore feriarum) per  
 diuturnam consuetudinem, reliqua sublata sunt,  
 ut bene probat Sanchez *l. 7. D. 17. à n. 8. Laym.*  
*l. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. Coninck, Pirrhing, Engel,*  
 & teste König passim Doctores; ita ut dispensa-  
 tione opus non sit; si tamen aliquis pro Securiori  
 eam petere vellet; Sufficeret recurrere ad Episco-  
 pum;

pum; ut docet *Laym. l. c.* quamvis in voto, & in Sponsalibus Solus Pontifex dispensare possit, & in his quidem teste Sanchez *l. 1. D. 61, n. 2.* & *Lugone in resp. moral.* non nisi ex gravi, vel si sponsalia jurata fuerunt, non nisi ex causa gravissima, bonum publicum concernente; rationem dat Gobat, quia nec Supremus Princeps, sine causa gravi auferre potest tertio jus certum. Tandem impedimentis etiam de facto impedientibus Illung addit clandestinitatem in iis locis, in quibus, Tridentino non recepto, matrimonia clandestina valida sunt; item omissionem triplicis denuntiationis; de qua num. 16. An etiam dissensus Parentum inhabilitatem aliquam inducat, patebit hic ex Q. IX.

19. Inter personas *jure inhabiles*, potissimum deputantur destituti ætate à jure requisita, quod pro Sponsalibus regulariter exigit septennium completum *c. Literas 4. c. accessit. 5. c. Ad dissolvendum. 13. de despons. impub. c. Un. in 6. eod. t. l. in Sponsal. 14. ff. de Sponsal.* Nam quia jura constitui solent, in his *quæ ut plurimum accidunt. l. 3. 4. & 5. ff. de Leg.* Usus rationis autem pro contractibus requisitus; ut plurimum acquiri consuevit circa Septennium, nam hoc superato expirat infantia, *l. Si infanti 18. C. de Fure delib.* ideo hæc ætas statuta est pro Sponsalibus, sicut pro matrimonio fæmellis annus duodecimus, viris decimus quartus completus est præfixus, ante quam ætatem vocantur impuberes, & jure inhabiles sunt ad matrimonium. *c. 6. 10. 11. de Desponsat. impub.*

*l. 4. ff. de ritu nup.* quia ante illud tempus non censentur apti ad generationem; nisi malitia suppleat ætatem. *c. de illis 9. & c. fin. de De-spons. impub.*

20. Itaque Sponsalia ante Septennium contracta, regulariter (hoc est nisi usus rationis ætatem antevertat, ut dicitur *Q. VI.* irrita sunt, nec pariunt impedimentum publicæ honestatis, nec firmanur solo *tractu temporis R. F. 18. in 6.* (idem est, si Parentes loco talium contraxissent *c. un. h. t. in 6. §. Porro*) ita ut talis infans postmodum adultior factus, pro libitu resilire valeat, nisi (ut notat *Ilfung*) *invaliditatis conscius* Sponsalia post septennium expressè, vel implicite v. g. mittendo munera, aut Sponsæ cohabitando &c. renovâset. *c. cit. §. 1. & 3º.* Similiter resilire posse adultum, qui cum infante contraxit, docet *Wiestner ex Zabarella, de Canon. impedim. p. 2. a. 4. n. 9.* quod tamen melius negat *Sanchez l. 1. D. 6. n. 15. & 27.* cum pluribus ab eo citatis; nam quamvis talis non obligetur, vi Sponsalium, ex defectu acceptationis in infante, obligabitur tamen vi simplicis, & gratuitæ promissionis; quæ infanti facta, non requirit acceptationem, argumento & favore legis *Fubemus 5. C. de emancipat. liber. v. nisi infantes sint.* Ratio etiam est; quia qui infanti promittit, ejus acceptationem, cujus incapax est, minimè expectat. Similiter qui pubes contraxit, vel sponsalia in impubertate inita pubes approbavit, resilire non potest; quamvis resilire liceat im-  
puberi



puberi à Sponsalibus post Septennium legitime contractis ( nisi ex juramento confirmaverit, ut in *exegeſi ſua ſuper cap. 7. de deſponſ. impub.* notat *Wagnerek ex cap. Ex literis 2. de Sponſal.* ) ut primùm pubertatem attigerit, *c. De illis 7. de deſponſ. impub.* non expectatâ pubertate compartis, cùm independenter ab illa jus reclamandi habeat, & fruſtrâ expectetur eventus, cujus nullus eſt effectus. Debet autem reſilire in continenti, ut docet *Pirrhing, Engel, König & alij.* hoc eſt intrâ triduum poſt adeptam pubertatem, nam in continenti, ſeu illicò dicitur fieri, quod intrâ triduum proximum ſine ulla dilatione fit. *l. fin. C. de Judi. ciis. l. fin. C. de errore Advocat.* Si non ſtatim reſiliat cenſebitur tacitè conſentire, *Sanch. l. 1. D. 51. n. 14. & 15.* Niſi pubertatem ſe attigiſſe, vel jus ſuum ignoraverit. Nam tempus non currit ignorantì. *Wagnerek l. cit.* Potestas reſiliendi ideo datur, ne quis cogatur approbare, quod non ſatis firmâ ætate fecit; ne tamen propter ætatis inconstantiam impuberes ſæpius contrahant, & initos contractus ruſſum reſcindant, ante pubertatem adeptam, nec proprio, & mutuo, nec Parentum conſenſu reſilire licet. *cit. c. De illis 7. & c. à Nobis. 8. de deſponſ. impub. Functis interpret. & Sanchez l. 1. D. 51.*

21. Ratione perſonarum Sponſalia contrahentium monent Author's, eas debere eſſe determinatas. Unde *Cajus* promitteret ſe unam ex tribus Sororibus ducturum, & illæ conſentirent; vel ſi *Cajus* harum Parens indeter-

minatè

minatè unam Titio desponderet, nulla essent Sponsalia, impedimenti publicæ honestatis inductiva; *c. Un. de Sponsal. in 6.* promissor tamen Titius, vel Cajus teneretur unam ducere, aut dare, sed tamen pro libitu quam vellet, nam *In alternati vis debitoris est electio R. 70. F. in 6. Vide Sanch. l. 1. D. 26.*

22. Dicitur 8<sup>o</sup> *Vera & Seria*; id est non ficta, aut simulata, oretenus tantum facta, sine animo se obligandi, aut promittendi: nam talis promissio, non constituit, sed tantum fingit Sponsalia, utpotè quæ sine interno consensu non subsistunt. *c. sufficiat. 2. XXVII. q. 2. c. 26. de Sponsal.* Sicut *simulata nuptia nullius momenti sunt l. 30. ff. de ritu nupt.* imò nec alius contractus fictus. *Cod. tit. Plus valere &c. præsertim l. fin.* Unde quamvis aliàs promissio vera, & acceptata, in contractu mutuo, & oneroso, & in materia gravi qualis est Sponsalium, obliget sub peccato gravi & ex iustitia, ut cum communi Canonistarum docet *Lessius de F. & F. lib. 2. c. 18. Dub. 8. n. 55.* Si tamen ficta tantum fuerit, obligabit præcisè ex fidelitate, ut probat *Palam de Spons. D. 1. p. 2. n. 2.* Imò *Sanchez l. 1. D. 9. n. 5. & 9. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 10. Pirrhinus super tit. de Sponsal. n. 3. Zoësius ibid. n. 19. König n. 30.* alique docent, vi talis promissionis (si omne damnum absit, de quo *parte 2. q. 3.*) in foro interno nullam oriri obligationem ad contrahendum matrimonium; (cum desit consensus obligationis inductivus) vel summum levem, &

facile excusabilem; ut vult *Less. l. c. n. 58. & Il-  
lung tr. 6. D. 9. n. 1.* Quamvis talis deceptor  
(si reciproca promissio sibi facta est) propter in-  
tentionem graviter decipiendi, & alterum gravi-  
ter obligandi, lethaliter peccaverit, ut tradit  
*Sanchez D. 10. n. 26. loco cit.* & venialiter  
tantum, si promissio fuit pure gratuita, & non  
mutua; quia tantum continet rationem mendacij  
non perniciosi; ut habet *Gobat.*

23. Dicta intelligenda sunt de foro interno;  
nam in foro externo Sponsalia promittens præ-  
sumitur serio locutus fuisse, cogique poterit;  
ut contra *Canis. super cap. Tua nos de Spon-  
sal.* docet: *Pirrhing n. 96. Wagnerek super  
dictum cap. cum Panormitano, & Glossa,  
König super eundem tit. n. 30.* Si quidem  
nemo existimandus est dixisse, quod non mente  
agitaverit. *l. Labeo. 7. §. 2. ff. de supellect.  
leg. & nimis indignum est proprio testimonio  
resistere. l. Generaliter. 13. C. de non num.  
pec.* Præsertim si promissio in præsentia testium  
facta, aut aliis signis confirmata est. Nisi simu-  
lacio, aut jocus ex circumstantiis colligeretur:  
ut si quis cum puella chartis ludens diceret; *Si  
vicero, mea eris,* & illa annueret. *König ex  
Zippao.* Ulterius asserens ex *Felino, & Gailio,*  
in circumstantiis, & verbis perplexis, & ambi-  
guis, in quibus dubitatur utrum promittens serio  
locutus sit, juramentum promittenti, deferen-  
dum esse *arg. c. Cum in tua fia. Qui matrim.  
accus. pos. & c. Pastoralis 4. de Except.* Nam  
in his quæ ad animum pertinent, ut sunt scientia,  
igno-

ignorantia, intentio &c. Standum est juramento  
cujusque, si alio modo probari non possunt in-  
quit *Pirrhing n. 63. de Sponsal. ex Covarru-  
via.* Cæterum modos probandi Sponsalia,  
suggerit *Gobat à num. 89.* Qui dubitat an sim-  
pliciter promiserit, vel an verba ejus contineant  
promissionem, non obligatur, quamdiu post  
feriam inquisitionem stat dubium, si autem sciat  
se promisisse, sed dubitet an animo se obligandi,  
tenetur stare promissioni. *Bonac. T. 1. de Spon-  
sal. q. 1. p. 2. n. 12. & 13.*

24. Quæritur jam, an, si puella, etiã jurame-  
nto addito, asserat se à Cajo corruptam,  
(idem fortè erit, si dicat sibi matrimonium ab  
eodem esse promissum) Cajus verò neget, an in-  
quam puellæ verbis standum sit? R. cum *Gobat  
à n. 186.* negativè: *arg. cap. Significasti 5.  
de Adult.* est assertio communis ex Parisio,  
quam docent multi à Gobat per decursum citati.  
Ratio est 1<sup>o</sup> quia universim Actori, sive *Ei in-  
sumbit probatio, qui dicit, non qui negat  
l. 2. ff. de probat: Item l. 22. & 23. ib. & i. 1.  
2. 8. C. eod. tit.* 2<sup>o</sup> Nullus idoneus testis in  
*re sua intelligitur l. 10. ff. de Test.* nec admit-  
titur juramentum suppletorium in probando suo  
interesse singulari. *Seraphin. de privileg. ju-  
ram. priv. 33.* 3<sup>o</sup> est hæc Praxis consistorij  
Constantiensis, & aliorum. 4<sup>o</sup> Testimonium  
mulieris, aut nullum est, aut saltèm testimonio  
viri postponendum *c. mulierem. 17. XXXIII.  
q. 5. Nam varium, & mutabile testimonium  
semper femina producit c. Forus 10. in fine*

de V. S. 5<sup>o</sup>. Actore non probante reus absolvitur, l. 4. C. de edendo. c. fin. §. sanè de Furejur. nec ex sola assertione, etiam jurata, torqueri potest; præsertim si actrix, asserens se vi oppressam, peteret vindictam publicam; nam eo casu hostem se ostenderet, cujus testimonium non auditur l. 1. §. 1. ff. de question. c. cum oporteat 19. de Accusat. l. si quis. 17. C. de Test. 6<sup>o</sup>. Nec socij criminis c. 10. Nec unius testimonium sufficit ad condemnationem c. eod. §. 23. de Test. l. Jurisjurandi 9. C. eod. Præsertim si in nostro casu mulier illa esset meretrix, aut prius corrupta propter infamiam rejici deberet. c. 13. 54. 56. de Testib. 7<sup>o</sup>. Si confessio talis mulieris reciperetur, daretur occasio pauperioribus falsò nominandi Nobiliores, ut tum ipsæ, tum proles ad opes emergant, ex quo infertur contra Fabrum apud Gobat; nec puellæ aliàs honestæ, solis verbis etiam juramento confirmatis standum esse in casu præsentis; nisi alia indicia præcessissent v. g. cubatio in eodem lecto, turpes tactus, &c. quanquam etiam tunc potius reo juramentum deferendum esset, præsertim si ille Actricis probationes contrariis præsumptionibus elisisset. Cap. fin. §. sanè de Furejur. Imo König ex Brunemano contra Mævium docet, quòd tali casu Cajus nec per oblationem juramenti purgatorij suspectus reddi debeat, nisi indiciis quibusdam gravetur. *super Tit. de Adulteris n. 25.*

§. II.

Quæstiones magis disputa-  
biles circa hæctenus dicta.

QUÆSTIO I. ex num. 4.

*An pro sponsalibus requiratur libertas formalis, & directa, ita ut promissio ebrii; aut amentis, licet prius prævisa, non constituat Sponsalia?*

25. **A**ffirmativa communis est, & vera, eam-  
que tenet Sanchez l. I. D. 8. n. 20. &  
alij ab eo citati. Palau D. I. puncto 2.  
n. 5. Gonzalez super c. Dilectus de Sponsal.  
citans Vasquesium, & Pontium. Mastrius Dissp.  
7. de matrim. Sacr. n. 115. cum Averfa, &  
Caspensi. Oberascher & alij. Assertioni favent  
cap. Dilectus 24. de Sponsal. & c. Neque fu-  
riosus 26. XXXII. q. 7. & l. 8. ff. de Sponsal.  
quibus locis furiosus celebrandi contractus matri-  
monialis simpliciter incapax declaratur. 2<sup>o</sup>. Pra-  
xis tribunalium omnes contractus improbare so-  
let, & irritare testamenta, si constet hæc facta  
esse in ebrietate, aut amentia; nec inquit utrum  
ante ebrietatem, vel amentiam fuerint prævisa,  
aut intenta. 3<sup>o</sup>. Pro Administratione Sacra-  
menti non sufficit libertas indirecta, vel in causa;  
quia ejus minister debet agere more humano:  
Unde absolutio, data ab ebrio, quamvis antè  
prævisa, aut intenta, esset irrita; ergo idem di-  
cendum de ministro contractus Sponsalitij. 4<sup>o</sup>.

Promissio DEO facta, seu votum requirit libertatem directam, nec sufficit indirecta in causa, seu purè interpretativa, ut ostendit *Suar. tom. 2. de Relig. tr. 6. l. 1. de Votoc. 10. Laym. l. 4. tr. 4. c. 1. n. 4.* & hoc teste communis sententia, Ergo etiam promissio facta homini: unde bene *Iljung Tr. 6. D. 1. n. 14.* inquit: Actio extranea, quæ non fit modo humano, nihil valet, ideo etiam promissio sive DEO, sive homini facta, nullam vim habet obligandi. Idem probat *Tr. 5. D. 1. n. 87.*

26. Ob. 1. Juxta *c. Majores 3. §. Item de Bapt.* valet baptismus amenti, aut dormienti collatus, dummodo prius fuerit petitus. ergo pariter valebit promissio ebrij, antea prævisa, aut intenta. R. C. antec. N. Conseq. quia plus requiritur ad efficiendum, quàm ad purè recipiendum, unde etiam infantes sinè omni actu humano validè baptizantur. 2<sup>o</sup>. Collatio talis baptismi est adhuc actio humana, non autem promissio ebrij.

27. Ob. 2. Homicidium ab ebrio commissum sufficienter est voluntarium, dummodo fuerit prævisum, aut in causa volitum. Ergo etiam sufficienter erit voluntaria promissio matrimonij, ab ebrio facta, dummodo præviderit, quòd in ebrietate tales promissiones facere soleat. Prob. conseq. libertas quæ sufficit pro peccato mortali, etiam sufficit pro Sponsalibus juxta num. 6. ergo. R. N. Conseq. disparitas est 1<sup>o</sup>. quia prior verè vult realem, & veram occisionem, saltèm in causa, & indirectè: alter autem indirectè, & imputa-

putativè vult sola verba externa, quæ solet in ebrietate proferre, quæ nudè accepta, non sunt vera promissio, habens vim obligandi; aliàs etiam psittacus promittere posset; aut homo per psittacum, à se instructum verba promissoria proferentem: neque dari posset ulla promissio ficta.

2<sup>o</sup>. *Malitia* homicidij consistit in voluntate interna, sive directa, sive indirecta; aut interpretativa; cum feratur in rem prohibitam, & proximo perniciosam, quæ malitia commissa, potest extrinsecè denominare actum externum, tanquam sui completivum, quamvis hic malitiam nullam de novo addat, ità ut coram DEO idem peccatum esset commissum, quamvis actualis occisio non sequeretur. Promissio autem ebrij, neque de se obligatoria est, neque ullus actus præcessit *obligatorius*, aut intendens obligationem, ex quo verbalis illa promissio vim obligandi haberet.

3<sup>o</sup>. Externa illa occisio, coram DEO jam mala est extrinsecè, & denominativè; quia voluntaria; verba ebrij autem nullo modo sunt promissio: Nam *promissio est volitio, quâ se quis alteri vult obligare humano, & rationabili modo manifestata*: atqui talis ebrius non voluit se obligare, licèt præviderit, quòd in ebrietate verba talia prolaturus sit, quibus prudentes homines solent suam voluntatem explicare; & licèt voluntatem se obligandi habuisset; non manifestat eam humano, & rationabili modo, prout requiritur ad promissionem homini factam, ergo.

4<sup>o</sup>. Plus requiritur ad bonum, quale est promissio, quod debet esse tale ex in-



regra causa, quàm ad malum, quod est tale ex quolibet defectu ita Suar. Sanchez Oberascher. Ad probat: R. 1<sup>o</sup>. indirectè, ergo talis libertas etiam sufficit pro voto, vel pro administratione Sacramenti. R. 2<sup>o</sup>. libertas formalis, & immediata, quæ sufficit pro peccato mortali, etiam sufficit pro Sponsalibus; (id est pro his non requiritur major advertentia, & consideratio quàm pro illis) C. sufficit sic libertas indirecta, & mediata, vel in causa N.

28. Replic. qui diceret: *Promittotibi matrimonium, si in ebrietate dixerò, quòd te velim in uxorem habere*, ille verè obligaretur, si postmodum in ebrietate, prædicta verba pronuntiaret, ergo sufficit libertas mediata, validæque sunt Sponsalia ebrij. R. C. antec. N. suppositum Consequentis: nam hæc non est libertas mediata, sed immediatè, & extra ebrietatem talis promittit, & voluntatem se obligandi more humano manifestat; adeoque contrahit jam prius Sponsalia; sed conditionata: unde verba postmodum in ebrietate secuta, non sunt Sponsalia, sed conditio promissionis prius factæ, à cujus purificatione dependebat obligatio. Sicut si quis voveret abstinere à vino, si in ebrietate blasphemaverit, subsequetæ postmodum blasphemix non sunt ipsum votum, sed conditio voti.

29. Obi. 3. Juxta *num. 12.* valent Sponsalia contracta per Procuratorem, quo casu contrahens sive dormiat, sive ebrius sit, verè obligari incipit, eo instanti, quo Procurator contractum perficit. ergo etiam obligabitur, qui vult contra-  
here

here per verba in ebrietate prolata. **R. C. Antec. N. Conseq.** quia prior moraliter vigilat, & formaliter liber est, in suo vicario: Nam *potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. R. J. 68. in 6.* alter nullam exercet libertatem, nec prius supponitur habuisse voluntatem se obligandi, humano modo manifestatam; nisi prius conditionatè se obligasset, juxta dicta n. præced.

30. Ob. 4. Qui in ebrietate suscipit ordines sacros, prius petitos, hoc ipso obligatur ad votum castitatis, si scivit illud Sacro ordini ex præcepto Ecclesiæ esse annexum; ergo etiam qui vult ebrietatem, in qua prævidet promissionem Sponsalium, eo ipso censebitur Sponsalia contrahere. **R. C. antec. N. Conseq.** Quia prior hoc ipso obligationi voti se liberè subjecit; quòd ordines petiverit, quibus eam scit esse annexam; ebrietati autem non est annexa vis obligatoria Sponsaliorum, neque eam tribuunt pura verba, præsertim non prolata modo rationali, & humano.

31. Ob. 5. Actualiter promittentes sæpe sic distrahuntur, ut non habeant formalem voluntatem se obligandi; nec obligationem advertant, & tamen verè obligantur, ergo non requiritur formalis libertas, aut voluntas se obligandi. **R. permissio antec. D. Conseq.** ergo non requiritur formalis libertas physicè in se præsens, vel reflexè, & signatè cognita (non requiritur physicè præterita, in suo tamen effectu virtualiter saltè perseverans, in quantum vel ex vi, & virtute illius procedit effectus, vel ipsa adhuc in tenui

reminiscentia durat, licet propter distractionem non advertatur N. Conseq. Nam hic discurrendum est, sicut discurrunt Theologi de intentione pro Sacramenti administratione requisita; dum docent, sufficere virtualement, non autem habitualement, qualis potest dari in ebrio.

## QUÆSTIO II.

*An valida sint Sponsalia ex gravi metu contracta?*

*Ex num. 4.*

32. **M**agni momenti hæc quæstio est; nam si non valeant talia Sponsalia; poterit sic coactus pro libitu vovere castitatem, vel cælibatum, suscipere ordines, contrahere cum alia; nec obstrictus erit impedimento publicæ honestatis &c. Ad meliorem quæstionis intelligentiam Prænotandum est, alium dari metum levem, qui facile contemnitur; alium gravem, qui cadit in virum constantem; rursus alius est justus, seu justè incussus à lege, aut Magistratu, v. g. in pænam admitti sceleris, (quamvis Juristæ per metum *justum*; gravem intelligant) alius est unjustus, seu injustè per injuriam, vel innocentè incussus.

33. Gravis censetur, metus mortis, mutilationis, verberum, cruciatus Corporis, servitutis, stupri, amissionis omnium bonorum, vel majoris partis, carcerum & vinculorum; infamix non facile debilis; injustæ excommunicatio-

cationis, aliorumque gravium malorum sibi, aut alicui valde conjuncto imminentium. Ut ex variis juribus probant Sanchez l. 4. D. 5. Lessius de J. & J. l. 2. c. 17. n. 5. Gonzalez, Pirrhing, Canis. & alij super tit. de his que vi &c. Wagnerek super cap. Veniens 15. de Sponsal. Arg. l. pen. ff. de Furtis & l. 1. ff. Quarum rerum actio &c. §. In Summa. 6. ubi metus, & nimia reverentia æquiparantur, addi solet metus reverentialis, si sit minis, verberibus, nimis importunis precibus conjunctus; imò ut notat Wagnerek loco cit. etiam sinè his circumstantiis aliquando hic metus solet esse gravis respectivè; nam sæpe metus, qui censetur esse levis respectu viri robusti, respectivè gravis est in fæmina, aut adolescente. Sponsalia ex metu levi contracta, non esse ipso facto irrita, adeoque ea inducere impedimentum publicæ honestatis, & jus ad oscula, & tactus non impudicos, docet cum Sanchez Sporer, ait tamen esse infirma, & etiam propriâ authoritate vim passi irritabilia, licèt fuissent jurata, quamvis tali in foro externo non concedatur actio. idem docet Bonac. de Sponsal. puncto 9. n. 10. Jam ad questionem.

34. Affirmativam Lessius de J. & J. l. 2. c. 17. n. 37. Pirrhing super tit. de Sponsal. n. 21. Haunoldus de J. & J. tomo 3. tr. 8. Contr. 2. Wiestner de Canon. Imped. p. 2. a. 3. n. 18. apud hos Henriquez, Ledesma, Sylvester, Tanner & alij. Sed præplacet negativa, dummodo metus sit gravis, injustè & ad Sponsalia

falia extorquenda incussus. Hanc tenet *Sancti*.  
*l. 4. D. 19. n. 3. Laym. l. 3. tr. 4. c. 6. n. 3.*  
*Palaeus de Sponsal. D. 1. p. 2. n. 6.* perperam  
 ab aliquibus pro opposita citatus. *Iljung tr. 6.*  
*D. 9. n. 2. P. Wex. in suo Opusc. Canon. Trid.*  
 dicens esse communem Pontificij Juris Interpre-  
 tum, Summistarum & Theologorum, *Zoësius,*  
*Engel, König, Wagnerek, Streinius, Ma-*  
*strius, & apud hos Bonacin., Covarruv., Salas,*  
*Reginald., Guttierrez, Pontius, uterque Bar-*  
*bosa, Azor, Gonzalez, Lugo, Tamburi-*  
*nus, plurimique alij.* Favet huic Sententiæ  
 cum suis Interpretibus *cap. Ex literis 11. de*  
*despons. impub.* ubi contractus ex metu initus,  
 vim non habet: addunt alij *l. oratio ff. de Spon-*  
*salibus.* ubi dicuntur ea disponi de Sponsalibus,  
 quæ disponuntur de matrimonio. Sed hæc lex  
 non est efficax & in multis casibus fallit, ut fuse  
 ostendit *Gobat de Sponsal. n. 74.* Prob. asser-  
 tio 1<sup>o</sup>. Si valerent hæc Sponsalia, pariter valeret  
 matrimonium metu extortum, atqui illud non  
 valet: *c. Cum locum 14. c. Veniens 13. & 15.*  
*c. Consultationi 27. de Sponsal. c. De illis 9.*  
*de Despons. impub. c. 2. De eo qui duxit &c.*  
 Ergo nec Sponsalia. Prob. sequela: Matrimo-  
 nium ex illis Sponsalibus secutum esset mediatè  
 metu extortum, atqui illud esset validum; ergo.  
 Maj. prob. metus coëgisset ad ineunda Sponsalia,  
 & hæc vi suâ obligativâ ulteriùs cogerent ad ma-  
 trimonium: ergo hoc esset mediatè metu extor-  
 tum: Nam qui est causa causæ necessariæ, est  
 etiam causa causati, ergo etiam metus, qui esset  
 causa

causa Sponsalium ; obligatione suâ necessitan-  
 tium ad matrimonium , esset etiam causa ipsius  
 matrimonij. Prob. 2<sup>o</sup>. Nequit dari obligatio  
 ad actum omnino invalidum , atqui matrimo-  
 nium ex ejusmodi Sponsalibus initum esset actus  
 invalidus ( quia metu in Sponsalium obligatione  
 incluso extortus ) ergo respectu illius non potest  
 dari Sponsalitia obligatio. Prob. 3<sup>o</sup>. Juxta P.  
*Suar. tr. 2. de Relig. l. 1. de voto c. 8. n. 10.*  
 Votum ingrediendi Religionem , & in ea profi-  
 tendi , metu extortum est invalidum ; quia hoc  
 cogeret ad emittendam professionem ; & metus  
 prius coëgisset ad nuncupandum votum , & sic  
 mediante voto coëgisset ad professionem ; quia  
 autem professio , coacta , & metu extorta irrita  
 est , etiam votum sic profitendi est irritum ; cum  
 nemo possit obligari ad actum invalidum. Atqui  
 simile prorsus eveniret in prædictis Sponsalibus ,  
 ergo etiam illa sunt irrita.

35. Ob. 1<sup>o</sup>. Omnes contractus ex metu initi,  
 sunt validi , nisi lege positiva irritentur ; ( unde  
 apud infideles , valent etiam matrimonia ex metu  
 inita teste Sanchez l. 4. D. 14. n. 3. ) quia sunt  
 simpliciter voluntarij , & capaces meriti , & de-  
 meriti : ideo c. 2. de his que vi , metu & c.  
 generaliter dicitur : *Qua metu & vi fiunt ,*  
*de jure debent in irritum revocari , vel infir-*  
*mari ,* ut dicitur l. fin. C. eod. tit. adeoque non  
 sunt ipso facto irrita , vel infirma. Atqui  
 Sponsalia ex metu inita , nullibi irritantur ; nam  
*cap. Ex literis.* loquitur de puella , quæ dolens,  
 & invita , adeoque sinè suo consensu in domum  
 Sponsi

Sponsi traducta est, imò & hæc Sponsalia adhuc videntur fuisse valida, aliàs frustra Pontifex jubere-  
ret puellam illam commoneri. Ergo Sponsalia  
ex metu inita, dummodo consensus adfuerit,  
sunt valida. Confirm. c. *Inter cætera* 22. XXII.  
q. 4. Declaratur matrimonium cujusdam Hu-  
baldi cum sua concubina, esse *stabile, & fir-  
mum*, licet ex metu mortis fuerit contractum.  
Ergo. R. Permissa Maj. D. Min. Atqui Spon-  
salia ex metu inita nullibi irritantur directè, expli-  
citè, & formaliter Trans. Min. non irritantur in-  
directè, implicite, & virtualiter, in quantum  
irritatur eorum objectum, hoc est matrimonium  
ex metu initum, quale esset illud, quod ex co-  
actis Sponsalibus sequeretur N. min. & Conseq.  
Ad cap. *ex literis* plurimi interpretes cum San-  
chez dicunt, illud loqui de Sponsalibus prius  
*cum consensu*, sed tamen ex metu initis, quam-  
vis puella *postmodum*, sive *tempore procedente*  
facti pœnitens, habitare noluerit in domo pater-  
na Sponsi. Neque tamen frustra moneri jube-  
tur; ut maturè perpenderet, an verè metus in-  
tercesserit?

36. Ad Conf. R. Illum Hubaldum fuisse  
metu mortis adactum, non tantùm ad Spon-  
salia; sed ad ipsum matrimonium; sed non metu  
*injusto*, utpote in pœnam concubinatus (&  
fortè cum promissione matrimonij) exerciti, in-  
cusso. Aliàs matrimonium fuisset irritum. Insuper  
illud matrimonium, licet prius ratione metus ir-  
ritum fuisset; postmodum tamen erat liberè, &  
sinè metu ratificatum, & confirmatum: Nam  
accessis

accessit iuramentum, carnalis copula, spontanea cohabitatio, per quæ olim, saltèm præsumptivè matrimonia convalescebant. *c. Insuper 4. qui matrim. Accus. Et c. c. 30. Et ult. de Sponsal. c. pen. de condit. appos. c. 2. de eo qui duxit Et c. cap. de illis. 9. de despons. impub. cap. 21. de Sponsal.*

37. Ob. 2<sup>o</sup>. Matrimonium, vel professio religiosa, aut si qui alij dantur contractus *indissolubiles*, ideo per metum invalidantur; quia innocenti talem metum passo, non posset amplius per horum *dissolutionem* succurri; & sic cogereur invitus damnum pati; cogens autem ex sua malitia lucrum reportaret. Atqui Sponsalia non sunt indissolubilia. Ergo nec irrita, sed tantùm irritanda. Conf. In contractu, in quo dolus intercessit, magis consulitur innocenti per hoc, quòd contractus sit validus, sed pro libitu innocentis rescindibilis, quàm si esset simpliciter irritus: quia casu quo postmodum appareat esse favorabilis innocenti, tenebitur pars nocens eum observare, ad quem non obligaretur, si aliunde irritus fuisset: & sic jura magis favent innocenti, valorem tali contractui pro libitu innocentis permittendo, quam tollendo. Ergo idem dicendum est de Sponsalibus ex metu contractis.

38. R. D. Mai. Ideo per metum invalidantur, &c. ità ut contractuum indissolubilitas sit sola, & unica causa invalidationis N. ità ut sit tantùm causa particularis C. Maj. & Min. & N. Conseq. nam etiam aliqui contractus dissolubiles irritantur per metum v. g. promissio, aut solutio



lutio dotis. *l. si mulier. 21. §. si dos 3. ff. quod metûs causa &c.* promissio vel traditio rerum Ecclesiæ. *c. 1. junctâ glos. XV. q. 6.* licet juramento confirmata. *c. 2. de Furejur.* Absolutio à censura. *c. absolutionis un. de iis qua vi &c. in 6.* vide *Pirrhing super hunc tit. n. 23.* aliæ igitur causæ, pro conclusione assignatæ probant Sponsalium coactorum invaliditatem; accedit, quòd vim, vel metum passo nunquam satis succurratur, etiam per Sponsaliorum dissolutionem; quia per eam non tollitur impedimentum publicæ honestatis; & antequam dissolutio illa per judicem fieret, non auderet Sponsus interim cum alia contrahere, vel castitatem voverè, sed cum magno suo incommodo expectare cogereretur; præter incommoditates, & expensas in Judicem faciendas &c. Ad Conf. *ry.* permissio anteced. *N. Conseq.* Disparitas est: Quia metu coactus innocenter incurreret impedimentum publicæ honestatis, quod onus prævalet bono in objectione insinuato, & parùm æstimabili, quia rarissimè eventuro: cum rarissimè soleant per metum extorqueri contractus patienti favorabiles, & præjudiciosi extorquenti. Quòd autem potius metus, quàm dolus aliquos contractus irritet, ratio ulterior est: quia dolus faciliùs præcaveri potest, ità ut deceptus suæ simplicitati adscribere debeat, si decipiatur; vis autem, & metus non possunt sic evitari. 2<sup>o</sup>. Fraudes, & doli sæpissimè committuntur, adeoque horum prætextu plurimi contractus fierent irriti, cum magna Reip. perturbatione, vis autem, & metus  
rariora

rariora sunt. 3<sup>o</sup>. Contractus Sponsalium ex metu initus faceret ipsum matrimonium coactum, adeoque invalidum; & sic pro objecto haberet rem invalidam; nihil tale habet contractus dolosus.

39. Ob. 3<sup>o</sup>. Quamvis Sponsalia sint clandestina, vel ab impubere, vel cum impedimento matrimonij contracta, tamen valent, & etiam subsequutum matrimonium, dummodo in hujus contractu cessaverit clandestinitas, vel impubertas, vel impedimentum sit per dispensationem sublatum. Ergo etiam valebunt Sponsalia, unà cum subsequente matrimonio, dummodo (ut fieri potest) metus ante illius contractum sit sublatum. R. C. Antec. N. Conseq. aut potius consequentis suppositum, quòd nempe tali casu, si priora Sponsalia valida sunt, metus cessare possit, perseveraret enim virtualiter in ipsa obligatione Sponsalium; quia hæc vim obligationem haberet ex metu, & vis illa moraliter cogendo ad ipsum matrimonium, redderet illud invalidum; nihil tale præstant impedimenta alia recensita, quæ perfectè cessant, nec perseverant in obligatione, cum illam non causaverint.

40. Ob. 4<sup>o</sup>. Pars prius ad Spondendum coacta, potest postmodum cessante metu formali liberè promissionem, aut obligationem rescindere; ergo si eam non rescindat, sed liberè conservet; liberrimè matrimonium contrahet, quamvis illud dependeat ab obligatione prius violentè inducta: sicut liberè ad carcerem duceretur, qui violentè prius captus erat; si postmodum per-

C

missus

missus est vincula sibi deponere, & non deponit. *R. D. Antec.* Potest obligationem rescindere immediatè per suam voluntatem N. (esset enim nugatoria obligatio, quæ pro libitu obligati abjici posset, ita ut haberet hunc sensum: ego hunc obligo, si, vel quamdiu obligari voluerit) potest eam rescindere mediatè, id est, petere rescissionem à Judice, adeoque cum præjudicio libertatis, cum periculo nè causâ cadat, si contra Coactorem, & plerumque potentiorum probare violentiam non possit, & cum incommoditatibus object. 2<sup>da</sup> insinuat, ob quas mallet potius violentiam pati, & coactum matrimonium inire, quàm illis se opponere C. Antec. & N. Conseq. Ex his facillè patet responsio ad paritatem.

41. Ob. 5<sup>o</sup>. Possent talia Sponsalia juramento confirmari. Ergo saltèm eo casu valebunt. *R.* Nec juramentum de objecto invalido esse obligatorium, præsertim si ipsum juramentum esset factum ex metu. *arg. c. 11. de despons. impub.*

### QUÆSTIO III.

*An contractui Sponsalium apponi possit conditio pœnalis: v. g. ut pars injustè resiliens pendat mille aureos?*

*Ex num. 4.*

42. **A**ffirmativa placet multis clari nominis Authoribus, inter quos videtur esse *Suar.*

*tom,*

tom. 1. l. 2. de *Furam.* c. 23. n. 5. incidenter tantum hanc quaestionem attingens, absque plena ejusdem definitione. *Laym.* l. 5. tr. 10. C. 1. n. 8. *Palau de Spons.* D. 1. p. 9. *Haunoldus tom. 1. de J. & J. tr. 4. n. 364.* Gobat, *Wiestner*, *Sporer*, *Oberascher* & praeter alios apud *P. Wex*, *Perez*, *Diana*, *Engel*, *D. Glettle* &c.

Negativa tamen teste *Laymanno*, & *Pontio* communis est, eamque teste *Haunoldo* tenent omnes ferè *Theologi* & *Juristæ*: ut *Sanchez* l. 1. D. 30. n. 2. & 3. *Gonzalez*, *Barbosa*, *Pirrhing*, *Canis*. *Wagnerek* super cap. *Gemma*, *Ilfung*, tr. 6. D. 9. n. 98. cum limitatione tamen si poena gravis sit. *Zoësius* super tit. de *Spons.* n. 82. *König* super tit. de *Donat.* inter virum &c. n. 11. *Lancellot.* in *Instit.* de *Spons.* D. *Schambogen* in *sua Hecatombe* dissert. 92. *P. Wex* in *Opusc. Canon. Trid.* apud hos *Panormit.*, *Bartol.*, *Covar.*, *Tanner*, *Dicastillo*, *Henricus Mayer*, *Sannig*, *Fermosinus*, multique alij praesertim apud *Sanch.* Prob. 1<sup>o</sup>. ex cap. *Gemma* 29. de *Sponsal.* ubi dicitur: *Cum itaque libera matrimonia esse debeant, ideo talis stipulatio propter poenam interpositionem merito sit improbanda.* § l. 5. C. de *Sponsal.* cum permissum fuisset, ut injustè resiliens arrhas restituere teneatur, aliquando in quadruplum, additur: *Extra definitionem autem hujus legis, si cautio poenam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraq; parte nullas vires habebit, cum in*

*contrahendis nuptiis libera potestas esse de-*  
*beat. & lex Titia 134. ff. de V. O. ait, quod*  
*stipulatio poenæ non sit secundum bonos mores*  
*interposita quia inhonestum visum est, vin-*  
*culo poenæ matrimonia obstringi; sive futu-*  
*ra, sive jam contracta. Prob. 2º. Matrimo-*  
*nia quantum fieri potest, debent esse liberrima*  
*juxta l. Cum tale 72. ff. de Condit. & De-*  
*monstr. §. 4. & l. 2. C. de inut. stipulat. (posset*  
*enim aliàs fieri, ut ex metu poenæ, & sic cum*  
*irreverentia Sacramenti invalidè, aut sinè vero*  
*consensu contrahantur) magisque concilianda*  
*sunt amore, quàm metu poenæ. ergo hujus ad-*  
*jectio non valet. Conf. ipse Laym. & Palau*  
*notant, benè reprobare hanc stipulationem: Si*  
*tibi nupsero, decem dari spondes? l. si ita 97.*  
*ff. de V. O. nè videlicet nuptiæ magis ex libi-*  
*dine, vel quæstu, quàm ex amore ineantur,*  
*ergo ex simili ratione improbanda est adjectio*  
*poenæ, sive à contrahentibus, sive ab amicis in-*  
*terposita; tanquam inhonesta, & inutilis,*  
*sicut stipulatio hoc modo concepta; si here-*  
*dem me non feceris, tantum dare spondes?*  
*inutilis est, quia contra bonos mores. l. 61.*  
*ff. de V. O. 3º. tale pactum de poena, non ob-*  
*ligat: 1º. quia ipso Haunoldo teste sequi potest*  
*Judex tam in foro interno, quàm in externo Sen-*  
*tentiam nostram, pro qua, ut ait Aversa, etiam*  
*praxis stat. 2º. quia nemo obligatur ad solven-*  
*dum debitum incertum. ergo inutile est, adeoque*  
*invalidum. 3º. quia talis pacti obligatio esset valde*  
*pericu-*

peric  
 quan  
 43  
 confu  
 man  
 Goff  
 Titi  
 bus;  
 Gem  
 resilie  
 proba  
 despo  
 faven  
 batae  
 sed et  
 jam e  
 non  
 pedie  
 Spon  
 44  
 nis,  
 vel ju  
 ciden  
 & fa  
 Leon  
 cum  
 quan  
 ff. d  
 Gem  
 resilie  
 mus  
 appo

periculosa, nè ex coactis per pœnam nuptiis sequantur infelices exitus.

43. Ob. 1<sup>o</sup>. Jura pro conclusione allegata, consuetudo à Leone Imp. approbata, & *in legitimam constitutionem traducta* abrogavit, teste, *Goffredo ex Novella 18. & Glossa super cit. l. Titia*; vel loquuntur tantùm de justè resilientibus; si ut de jure resilire poterat Sponsa *capitulè Gemma cit.* quia impubes, (adeoque cum jure resiliendi *c. de Illis. 7. de despons. impub.*) & probabiliter per Parentes, sinè consensu proprio desponsata erat; vel denique leges citatæ tantùm favent libertati gentilium, à Christianis reprobatae, vi cujus licebat non modò à Sponsalibus, sed etiam à Matrimoniis impunè recedere: ergo jam contra injustè resilientes, pactum pœnale non modò validum erit, sed etiam valde expediens ad urgendam executionem promissionis Sponsalitiæ.

44. R. N. Antec. Nam primo novella Leonis, non potest præjudicare capitulo *Gemma*, vel juri Canonico; imò nec legibus Imperij Occidentalis, præsertim cum teste *Zoësio loc. cit.* & fatentibus *Palao & Haunoldo*, nec tempore Leonis fuerit recepta, adeoque vim non habet; *cùm ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quòd judicio populi recepta sunt l. 32. ff. de Leg. 2<sup>o</sup>.* Leges cit. & præsertim *cap. Gemma*. Non distinguit inter justè, vel injustè resilientem; adeoque *nec nos distinguere debemus*, & nec opus erat tam operosè vetare pœnæ appositionem *pro justè resilientibus*, cùm &

ratio illam regulam 23. *F. in 6. dicitur*: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*, & idem leges clament. *l. si homo 69. Et lex Inter 83. §. Stichum ff. de V. O.* & par non sit, ut quis paciscatur de usu proprii juris, sicut par non est, ut quis rem suam emat *l. 16. ff. de contrab. empt.* Præterea ex causa justa, & à legibus approbata, resilientem puniri non posse cuicunque contractui convenit, jura autem pro favore libertatis (quam multis locis jura inculcant apud *Canis, super cap. Gemma*) aliquid speciale statuere volebant; adeoque ut nec injustè resiliens pœnæ conventionali sit subiectus: Unde in *cap. Gemma Pontifex*, & capituli interpretes, pro causa improbatæ pœnæ, non ponunt resilientis innocentiam, aut justitiam; non impubertatem, non defectum consensûs (ut Adversarij divinant) sed solùm hoc, quòd *cùm libera matrimonia esse debeant; ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem (& nullam etiam causam) meritò sit improbanda.* Neque tamen ex hoc sequitur licitum esse pro libitu resilire, etiam à matrimonio, ut olim gentiles faciebant; nam aliunde matrimonia constat esse indissolubilia, ad Sponsalia autem servanda adhuc sufficienter Sponsi adstringentur per gravem obligationem conscientiae, per amissionem arrhæ, per metum pœnæ à Judice infligendæ, quòd si insuper pœna conventionalis accederet, nimium libertas coarctaretur; ergo non expedit eam adjungere, pro urgenda Sponsaliorum obligatione: Aliàs, ut bene

bene  
conti  
depre  
culte  
illicit  
stam  
ram

4)  
sinè p  
mon  
furas  
muld  
ut de  
per p  
habe  
lienc  
cti.  
tati e  
tus i

4  
pecc  
ergo  
ratè  
tes a  
sal.  
cum  
quã  
N.  
pecc  
cit e  
deb  
suo

bene Gonzalez & Schambogen notant ; saepe contingeret, ut nec justè quis resilire possit ; si deprehenderet impedimentum occultum , difficulter revocabile , v. g. criminis , affinitatis ex illicita copula &c. vel aliquam causam injustam , quam tamen difficulter probare posset coram Judice.

45. Ob. 2<sup>o</sup>. Sponsi injustè resilire volentes sinè præjudicio libertatis cogi possunt ad matrimonium , juxta Henriquez per carceres , & censuras , *c. Ex literis 10. de Sponsal.* etiam per multam pecuniariam 100. vel 200. aureorum , ut docet Gobat *n. 179. de Sponsal.* ergo etiam per poenam conventionalem. Conf. Sponsi non habent libertatem moralem , seu jus ad licitè resiliendum , utpote jure divino , & humano obstricti. Ergo timor poenæ conventionalis libertati eorum non præjudicat , hanc enim solus metus injustus lædit. juxta *n. 36.*

46. Conf. 2<sup>o</sup>. libertas resiliendi est libertas peccandi ; atqui hæc non debet foveri sed puniri. ergo. *R. juxta num. 70.* possunt sic cogi moderate , seu impelli ita , ut in pertinacia permanentes absolvendi sint ( *c. Requisivit 17. de Sponsal.* cujus Summarium inquit : *qui juravit cum aliqua contrahere , moneri potius debet , quàm compelli* ) Conc. possunt cogi absolute N. unde Judices hac in parte excedentes graviter peccant , præsertim si mali exitus sequantur. Dicit etiam Wagnerek super *cit. c.* resilientes non debere cogi per carcerem , quem Henriquez de suo addit. Disparitas præterea ad censuram



est. 1<sup>o</sup>. quia licet hæc sit pœna gravissima *ultrà quàm Ecclesia non habet, quid faciat. c. Cùm 10. de Judic.* tamen eam ( præsertim cùm reus citò absolvi debeat ) communiter non ità timent perditæ mortales, sicut pœnam temporalem, adeoque hæc magis libertati præjudicat. 2<sup>o</sup>. Censura ( idem est de aliis pœnis, per Judicem inflictis ) præsumitur esse justa, post cognitionem causæ, culpæ commensurata; pœna *conventionalis* autem sæpe esset nimia, aut improporcionata; tum quia conventio de illa fieret, quando Sponsi in æstu amoris constituti, putant se nunquam recessuros, aut pœnitundine tangendos, ità ut non rarò vitam, sanguinem, salutem &c. pro data fide interponant; tum quia conveniretur de pœna determinata, cùm tamen injustè resiliens, pro diversitate circumstantiarum, jam multùm, jam parùm reus esse possit. Accedit, ut ad finem numeri 44. insinuatum est, quòd propter difficilem probationem innocentia, non rarò justè resiliens pœnæ foret obnoxius. 3<sup>o</sup>. Quid demum opus est pœna conventionali à jure improbata, aut saltèm non probata, probabiliter illicita, libertati periculosa, & juxta probat: 3<sup>o</sup>. Conclus. inutili, aut per exceptionem licitè, & facilè recusabili, cùm ad urgendam Sponsalium fidem sufficiant juris remedia ad finem num. 44. & sub initium 45. insinuata.

47. Ad 1<sup>o</sup>. Conf. R. D. Antec. non habent libertatem, seu immunitatem ab omni obligatione ( non habent libertatem à nimio rigore urgendi executionem obligationis; & à pœna jure  
pro.

prohibita libertati præjudiciosa, sæpe impropor-  
tionata, & innocenti periculosa, ideóque  
etiam metûs injusti causativa N. Antec. & Con-  
seq.

48. Ad 2<sup>o</sup>. Conf. R. C. Maj. D. Min. non  
debet foveri positivè, sed puniri pœnis propor-  
tionatis, à jure statutis, à Judice infligendis C.  
Min. non debet foveri negativè, pœnas injustas  
prohibendo, sed puniri pœnâ conventionali N.  
Min. & Conseq.

49. Ob. 3<sup>o</sup>. Conventio de pendendis, aut  
restituendis arrhis etiam in duplum, imò in qua-  
druplum non officit libertati, *l. fin. C. de Sponsal.*  
ergo nec pœna conventionalis, saltèm si modica  
fuerit. Conf. ipso Sanchez teste *l. 1. D. 30. n. 9.*  
*in fine* & 10. in favorem matrimonij pœna  
apponi potest solvenda à conjuge, si concubi-  
nam habuerit, aut injustè divortium fecerit.  
v. g. à pari.

50. R. C. Antec. N. Conseq. Disparitates  
*super cap. Gemma*, plures dant Gonzalez, Ca-  
nifus & alij; meliores sunt sequentes: 1<sup>o</sup>. Quia  
*contenti esse debemus pœnis legum compre-*  
*hensis. l. si stipulatio 19. ff. de V. O.* Cùm  
ergo jacturam arrhæ jura in pœnam statuunt; alia  
conventionalis rejicienda est, præsertim cùm  
nec pœnam perdendæ arrhæ ultra quadruplum  
multiplicare liceat, quo jure liceret adjectio al-  
terius pœnæ, à jure prohibitæ? 2<sup>o</sup>. Arrhæ dan-  
tur ex amore, & pro pignore; habentque pro  
fine directè matrimonij securitatem, & eviden-  
torem Sponsalium probationem: *arg. l. quod*

*sape 35. ff. de contrah. empt.* Poena autem ex natura sua habet pro fine vindictam, & adjicitur ultra quam quis comparti ex justitia debeat, *quidquid enim excedit, poena, non rei persecutio est.* l. *servus 7. ff. de Serv. export.* adeoque est odiosa, amori Sponsalibus debito, & libertati adversa. 3<sup>a</sup>. Quam præ aliis probant *Canisus, Iljung, P. Wex &c.* hæc est; quod arrhæ soleant, & debeant esse parvi momenti (quod etiam Leo in sua *Novella 18.* contra nos *num. 43.* citatus notavit) ita ut nec in quadruplum multiplicatae libertati præjudicent, aut metus eas perdendi unice ad matrimonium inducat; ergo illæ possunt permitti, præsertim cum alios honestos fines habeant, paulò ante insinuat, non autem poena conventionalis. 4<sup>a</sup>. Quamvis non posset dari alia solida ratio disparitatis, ut Engel putat, sufficeret hæc, quòd lex stet pro arrhis, non verò pro pœnis; quamvis legis ratio ignoretur: *Nam non omnium, quæ à majoribus nostris constituta sunt, ratio reddi potest.* l. 20. ff. de LL.

51. Ad Confirm. pro responso D'o disparitates. 1<sup>o</sup>. quia in his casibus pœnæ non sunt prohibita, sicut in Sponsalibus. 2<sup>o</sup>. Non est periculum, ut innocens puniatur, vel ut ex dimissione concubinæ, vel ex cohabitatione conjugum eadem mala sequantur, quæ sequuntur, ex matrimonio per pœnas extorto. 3<sup>o</sup>. Concubinitus simpliciter illicitus est, & separatio à toro ob gravia scandala, & mala, indè oriri solita, difficilimè permittenda. Ergo nihil obest  
fi

si utramque per pœnas impediatur; nihil tale est in Sponsalibus.

52. Repl. Ex dictis colligitur saltèm de pœnis modicis Sponfos pacisci posse, cùm hæ tam parùm præjudicent libertati, quàm jactura arrhæ. v.g. R. Antec. satisprobabiliter defendi ab Ilfung, meliùs tamen illud in c. Gemma n. 2. negat Canis. cum Panorm., Bartolo, Covarr. 1<sup>o</sup>. Quia pœna odiosa, adeoque constringenda, nec restringendæ libertatis suspicio admittenda est. c. Odia R. 7. in 6. 2<sup>o</sup>. Quia sine tali pœna ad urgendam Sponsalium impletionem sufficiunt alia juris remedia, num. 44. & 45. insinuata, ut necessarium non sit contra legis indefinitè adjectionem pœnæ prohibentis, præscriptam pœnam conventionalem apponere, cùm insuper turpe sit, ut; quem non movet gravis obligatio conscientiæ, vel fulmen censuræ, cogatur per pœnas etiam leves. Sic in simili l. Ab initio 14. C. de Nupt. pœna etiam 10. tantùm numerorum improbat, ut notat Sanchez.

53. Ob. 4<sup>o</sup>. A resiliente peti potest interesse, vel, cùm sæpe sit difficilè, hujus quantitatem determinare, poterit locò interesse, conveniri de aliquo certo, à resiliente pendendo, l. fin. ff. de stipulat. Prator. ergo etiam locò interesse poterit resiliens obligari ad solvendam pœnam conventionalem, præsertim si ad eam juramento se obligavit, arg. c. Debitores, 6. de Jurejur. ubi approbatur solutio usurarum sub juramento promissarum. Vel si juri suo, quo quis à talis pœnæ solutione eximitur, sponte renuntiavit, cum

cùm quisque possit pro libitu pacisci, etiam conditionem suam deteriore faciendo. *l. Item 4. l. Furis 7. §. 15. l. si pactus sum 54. ff. de pactis.* Conf. Quia Sponsi discessus Sponsæ probrosus est, & propter neglectas alias nuptias, aut propter difficultatem alia Sponsalia acquirendi, præjudiciosus, poterit hæc discedere volentem accusare; aut discedendi veniam postulanti non assentiri, nisi post stipulationem de compensatione, ut docet *Gobat de Sponsal. n. 265.* ergo etiam poterit convenire de pœna.

54. Resp. Permissâ 1<sup>a</sup> parte Antecedentis (cùm justitia commutativa præcipiat cuique suum reddere, & damna illata compensare) N. Secund. cum Gonzalez, nè in fraudem sub prætextu solvendi interesse, & cum periculo imminuendæ libertatis inducantur pœnæ in jure prohibetæ pro Sponsalibus, specialem libertatem requirentibus, licèt juxta *loc. cit.* tolerentur in aliis contractibus, saltèm ut ibidem insinuatur, in parva quantitate. Et hæc opinio juri conformior est, licèt alij indicent, de quantitate parvâ pro compensatione damni, quod regulariter pars deserta patitur, inter Sponsos præviè conveniri posse. Similiter aliqui admittunt obligationem solvendi pœnam conventionalem, non titulo justitiæ, sed virtute Religionis, juramento indutæ: plures tamen id negant, & probabiliter quidem teste *Lessio l. 2. c. 17. dub. 7. n. 56.* Ad usuras disparitas est, quia harum approbatur, pœnæ autem solutio improbatur, utpote libertati præjudiciosa. Consequenter contrahentes  
renun-

renunciare non possunt favori legum à tali solutio-  
ne liberantium; nam pacta privatorum juri com-  
muni dissona non valent. *l. Juris 7. §. 7. de Pa-*  
*ctis & Generaliter quoties pactum à jure*  
*communi remotum est, servari hoc non oportet.*  
*ibid. §. 16.* Nam privatorum conventio  
juri publico non derogat. *l. Neq. pignus 45.*  
*ff. de R. J.*

55. Ad Conf. R. C. Antec. N. Conseq. Dis-  
paritas est; quia prævia conventio de poena ob  
causas hætenus insinuatæ improbatæ à jure; ut  
autem damna ex Sponsalium prius contractorum  
dissolutione oritura præcaveantur, aut compen-  
sentur, jus & æquitas exigit: Unde pars inno-  
cens potest eam compensationem petere, aut Ju-  
diciis auxilium implorare, nisi ipsi satisfiat.

## QUÆSTIO IV.

*An Sponsalia sint essentialiter promissio  
mutua?*

*Ex num. 9.*

56. **R** Esp. Affirmativè ita Sanchez *l. 1. D. 5.*  
*Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 2. Palau*  
*D. 1. p. 1. n. 5. § p. 2. à num. 9. & hoc teste,*  
*omnes. Pirrhing super tit. de Sponsal. n. 3.*  
*Ulung tr. 6. D. 9. n. 6. Mastrius de Matr.*  
*D. 7. q. 9. a. 1. & multi apud hos. Prob. 1<sup>o</sup>*  
*l. 1. ff. de Sponsal. Vocantur Sponsalia repro-*  
*missio, & c. De neptis 3. XXXI. q. 2. dicitur:*  
*quorum unum corpus futurum est, unus*  
*debet*

debet esse, & animus; fit autem unus per mutuum consensum, quem insinuat *cap. si inter pen. de Sponsal.* fortè idcirco etiam *Sponsalia* dicuntur in plurali. 2<sup>o</sup>. *Sponsalia* sunt contractus onerosus qui non claudicat, sed semper est mutuus, ut patet v. g. in contractu venditionis. 3<sup>o</sup>. Verus contractus *Sponsalium* semper involvit hanc tacitam conditionem, promitto, si tu promittis, sequiturque naturam contractus matrimonialis, qui semper est mutuus: ergo.

57. Obi. 1<sup>o</sup>. *Cajus* promittens matrimonium *Bertæ*, licèt illa non acceptet, obligabitur; ut sentire videtur *Antonius, Armilla, Tabiena apud Palaum de Sponsal. D. 1. p. 3. num. 1. & colligitur ex cap. Veniens, 5. Qui Clerici vel voventes &c.* ubi promissio absenti facta statuitur valida, cum tamen ibi nullius acceptationis mentio fiat. Tenetur enim facta conformare promissis, peccaturus aliàs contra veracitatem, & fidelitatem. Atqui illa promissio est *Sponsalitia*, & tamen non est mutua. Ergo. Resp. N. *Maj. cum Sanch. Vasquez, Pontio, Conink, Palao &c.* Non enim obligatur ex iustitia, cum desit acceptatio, quæ est forma dominij, aut juris ab altera parte acquisiti, ut cum pluribus docet *Laym. tr. 4. p. 3. c. 1. num. 3. & patet ex l. Absenti 10. ff. de Donat.* aliàs etiam nolens cogere fieri Dominus; neque obligatur ex fidelitate; cessat enim hoc ipso debitum, si creditor illud remittat, non acceptet, non curet, aut solutionem ejus recuset. Ergo. Unde tantum tenetur facta promissis conformare conditionatè,

*si promissarius acceptet*; nam hæc conditio omnibus promissis inest. Unde absens, de quo loquitur *cap. Veniens*, acceptavit per personam interpositam, quæ mandatum habebat, ut plures notant apud *Palauum loc. cit.* Et quamvis major vera esset, quòd Cajus ex fidelitate quoad se obligetur, adhuc falsa esset minor, quòd talis promissio esset Sponsalitia, tum quia non obligaret ex justitia, tum quia non esset mutua.

58. Ob. 2. Promissio rei Sacræ obligat ante acceptationem ut docet *Feling in c. 1. de Pactis*, & patet in voto. Atqui matrimonium est res Sacra. Ergo ejus promissio obligat promissorem, licet non sit acceptata, & mutua. Conf. Matrimonium Spirituale beneficiati cum sua Ecclesia subsistit ante ejus acceptationem, ita ut qui illud promisit, non possit promissionem revocare, priusquam alter renuntiat *cap. 17. de Præbendis in 6.* Ergo etiam Sponsalia subsistent.

59. Resp. 1º. N. Maj. cum pluribus apud *Laym. l. 3. tr. 4. c. 1. n. 3.* Nisi specialiter sint in jure exceptæ, aliud est de voto, quod cum sit bonum, & DEO fiat, censetur ab illo mox acceptari. R. 2º. Obligat per modum promissionis liberalis trans. Maj. obligat per modum contractûs onerosi, sicut Sponsalia N. Maj. imò etiam min. quia non promittitur matrimonium quatenus Sacramentum, sed quatenus est contractus civilis.

60. Ad Conf. R. N. antecedentis primam partem, quòd ante acceptationem fiat matrimonium



nium Spirituale, quamvis promittens per promissionem purè liberalem, & simplicem obligetur, ut non possit promissionem factam retractare.

61. Ob. 3<sup>o</sup>. Ex cap. Un. §. fin. de Despons. impub. in 6. si Parens filiam desponsat, illà præsente, & tacente, tenent Sponsalia, & tamen illa non repromittit. Ergo. Conf. Si Cajus coram Parentibus Bertæ infantis, promittat se eam ducturum, obligabitur, & tamen Berta necdum capax est repromissionis. Ergo. R. D. Antec. Illa non repromittit explicitè & expressè C. tacitè & interpretativè juxta dicta, n. 15. N.

62. Ad Conf. R. Palaus Negative. Aliter R. Obligabitur Cajus tanquam simplici promissione C. tanquam contractu oneroso Sponsalium, impedimentum publicæ honestatis inducentium N. Antec. Sic olim Margaretha Austriaca desponsata erat Carolo VIII. Galliarum Regi, sed ab eodem repudiata, prætendente eam nondum fuisse capacem promissionis acceptandæ; Sanchez tamen, Sylvester, Decius, & cum his König super tit. de Sponsal. impub. censet tales promittentes ex sua parte obligari. 1<sup>o</sup>. Quia aliàs inutiliter, nugatorièque promitterent, cum sciant infantem non esse capacem repromissionis. 2<sup>o</sup>. Quia infantes ex Speciali Privilegio, ante acceptationem possunt fieri hæredes; vel emancipari, quamvis aliàs ad hos effectus acceptatio requiri soleat. l. Fubemus 5. C. de emancip. liber. Ergo etiam potest illis promissor obligari.

63. Ob.

63. Ob. 4<sup>o</sup>. Potest Cajus matrimonium promittere, & Berta respondere; accepto, placet mihi tua promissio: Atqui hæc erunt Sponsalia sine repromissione, Berta enim nihil repromittit, sicut nihil repromitteret, si promittenti 100. aureos diceret: Accepto tuam promissionem. Ergo Sponsalia non sunt necessariò mutua. R. 1<sup>o</sup> cum Paludano, Antonino, Vasquez, Pontio & aliis C. Maj. D. Min. Erunt Sponsalia sine repromissione expressa, & formali C. sine implicita, & virtuali N. Min. & Conseq. Nam Caji promissio est conditionata: Promitto si repromittis. Ergo si Berta acceptet promissionem: Sicut si Cajus diceret: Accipio Te in meam uxorem, & Berta responderet; placet mihi, accepto; verè contraheretur matrimonium, ut docet *Sanch. l. 1. D. 18. n. 10.* cum multis Canonistis super *c. pen. de Sponsal.* quia videlicet contractus Matrimonij non claudicat, estque essentialiter mutuus: atqui idem dicendum videtur de Sponsalibus. Ergo. Ità citati Auctores, quorum judicio non potest Cajus obligari gratis & purè liberaliter, sed Berta promissionem acceptans vicissim obligatur. Quia tamen probabilius est, posse dari promissionem de futuro purè liberalem ex una parte, quin pars acceptans reciprocè obligetur, ut docet *Sanch. l. 1. D. 5. n. 12. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 2. Palaus D. 1. p. 2. n. 11. Pirrhing, Ilfung, Mastrius, Engel, König &c.* idcirco.

64. Resp. 2<sup>o</sup>. C. Maj. N. Min. quòd hæc sint Sponsalia: Sicut enim Cajus potest gratis

D


pro-

promittere, quòd velit Bertæ Domum vendere, & hâc promissione se obligare, quin Berta promissionem acceptans, obligetur eo ipso ad emendum; ità ut obligatio non sit mutua, licèt postmodum venditio non sit futura purè liberalis; ità potest purè liberaliter promittere futurum matrimonium, vel Sponsalia, hoc est potest ipse animum suum paratum offerre ad contrahendum, quin Berta hanc promissionem acceptans obligetur; licèt postmodum ipsum matrimonium, vel Sponsalia sint contractus mutuus, & onerosus: Et talis liberalis promissio, non est necessario conditionata; *promitto, si promittis*; sed absoluta, adeoque Berta eam purè acceptans, per modum simplicis promissionis, nec Sponsalia contrahit, nec obligationem; manetque in possessione suæ libertatis. Aliud dicendum foret, si acceptaret ipsum matrimonium, vel verè Sponsalia, vel contractum onerosum sibi oblatum, vel promissionem conditionatam; quæ essentialiter sunt mutua. Hic tamen notandum est, quamvis Berta promissionem Caji, ut purè liberalem, sinè repromissione acceptans, nec in conscientia obligetur, neque in foro externo, quamdiu dubium est de sensu acceptationis, cum in dubio non debeat ex possessione sua dejici, *l. Arrianus 47. ff. de Obligat. & Act.* nihilominus, quia communiter tales promissiones solent esse conditionatæ, & non purè liberales; ideo, pro Cajo præsumeretur, eum voluisse promittere conditionatè; nec cogeretur stare promissis, si Berta diceret, se noluisse repromittere.

65. Cæterum etiam promissionem Matrimonij purè liberalem, per se graviter esse obligatoriam, docet *Palaeus cum Sanchez*, & pluribus quos citat. *num. 14.* Quamvis id ibidem non pauci negent, & *Tannerus apud Ilfing.* Quòd si verò Cajus non nisi conditionatè promittere, & Caja tantùm per modum promissionis purè liberalis verba Caji acceptare intendat, neuter obligabitur, ut docet *Laym.* quia, ut dici solet, *actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. arg. c. ult. de praben.* atqui Berta non intendit se simpliciter obligare, Cajus autem non nisi sub conditione repromissionis, quæ hic deficit. ergo.

66. *Replic. contra 2<sup>m.</sup> Responsum.* Obligatio Caji, non est ad donandum corpus suum, sed ad mutuandum. Ergo Berta acceptans obligationem ejus, hoc ipso acceptat mutuationem à Cajo intentam, ergo & illa obligabitur, cum mutuatio involvat obligationem mutuam. *Conf.* Nequit Cajus se Bertæ tradere, quin illa se vicissim tradat, ergo nec obligari poterit ad se tradendum, quin illa similiter obligetur. *Conf. 2<sup>o.</sup>* Berta acceptans promissionem Caji, vult, & decernit aliquid, atqui non aliud, quàm matrimonium, involvens reciprocam obligationem, ergo hanc vult.


67. *Resp. D. Antec.* Obligatio Caji est ad corpus mutuandum mediatè per novum contractum matrimonialem & conditionatè si Berta velit C. est immediatè formaliter, absolutè, &



eo ipso N. Antec. Nam Cajus se tantum obligat ad hoc, ut teneatur esse paratus ad mutuacionem faciendam, si Berta velit, quæ se tamen ad id volendum non obligat eo ipso, quod paratum ejus animum interim acceptet, donec quid sibi faciendum sit, plenè deliberet, ut dictum est in simili num. 64.

68. Ad Conf. R. C. Antec. N. Conseq. Quia talis traditio esset fornicaria, si non esset mutua; nihil autem obstat, quò minus Cajus possit se obligare ad ineundum matrimonium, quin Berta se ad illud obliget, sicut simpliciter posset desiderare tale Matrimonium, quin illa idem desideret, nam obligatio unius non dependet essentialiter ab obligatione alterius.

69. Ad 2<sup>am</sup>. Conf. R. D. Maj. Berta vult, & decernit aliquid ex parte Caji, nempe obligationem ejus, & paratam voluntatem contrahendi, postquam Bertæ placuerit C. Maj. vult & decernit aliquid ex parte sua N. Maj. & etiam min. Hic porrò notandum; si Berta moras traheret, non teneretur Cajus diu expectare, censeretur enim illa Cajo gratuitam illam obligationem remittere. *arg. l. Continuus*  
137. ff. de V. Obl.



QUÆ-

QUÆSTIO V.

An & quomodo ad exequendam obligationem Sponsalium Sponsi cogi possint?

Ex num. 4.

70. **R** Esp. Injustè resilientes juxta num. 45. esse cogendos, seu compellendos non tamen absolute, & vi præcisa, si ex invitis nuptiis mali exitus timeantur. Ità Sanchez, l. 1. D. 29. n. 4. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 4. Palau de Sponsal. D. 1. p. 8. Wagnerek in exegefi sua super c. requisivit 17. de Sponsal. Mastrius cum multis; & Deniq. cum Canonistis Pirrhing super tit. de Sponsal. n. 17. & seq. Zæsius n. 18. Engel §. 2. n. 12. Vallensis §. 3. n. 2. König n. 53. Wamesius Consil. 426. apud hos Gutierrez, Pontius, Tanner, Conink plurimique alij. Specialiter autem Palau n. 6. notat, eam coactionem fieri debere, & posse per Solum Judicem Ecclesiasticum, si de jure Sponsalium, vel de valore, aut causa resiliendi, non autem de sola executione quæstio sit. Hæc conclusio suadetur 1<sup>o</sup>. ex eo, quòd sic facile combinentur Authores, & Canones, quorum aliqui dicunt tales Sponfos esse cogendos, ut c. Ex literis 10. de Sponsal. ubi tamen etiam additur, nisi causa rationabilis obstiterit; alij dicunt monendos, esse potiùs quàm cogendos, cum coactiones soleant difficiles exitus habere. c. Requisivit 17. eod. tit. ex quo colligitur,

ab initio esse monendos, cum debeant *potius* moneri, quam cogi, quod si monitio non proficeret, esse cogendos, sed moderatè, ita ut censurâ nihil proficiente Sponsus pertinaciter resiliens ab ea absolvendus esset, quamvis absolvi non peteret; ut docet cum aliis *Sanchez lib. 1. D. 29. n. 8.* & cum hoc *Pirrhing, Palaus, Wagnerek, König &c.* ne sic coactus tantum fingat consensum, cum irreverentia Sacramenti Matrimonij.

71. Prob. jam specialiter 1<sup>a</sup> pars conclus. à nonnullis negata apud Sanchez & Gobat. Judex tenetur compellere ad reddendum cuique quod suum est aut ex justitia debitum. Ergo. 2<sup>o</sup>. Promissor cogendus est, etiam ad pacta, & promissa simplicia servanda *c. 1. & 3. de Pactis.* Ergo multò magis ad servandos contractus onerosos. 3<sup>o</sup>. Solus Papa inquit Laym. tanquam supremus Spiritus Princeps per plenitudinem potestatis ex gravi causa (ut dictum etiam est n. 18.) dispensare potest in Sponsalibus, non itè Episcopus, cum ea dispensatio cedat in præjudicium tertij, ergo tenetur Episcopus tanquam Judex ordinarius læsæ parti succurrere. 4<sup>o</sup>. Hanc Sententiam suadet ipsa praxis totius orbis teste *Gutierrez apud König.*

72. Prob. 2. Pars 1<sup>o</sup>. quia *coactiones difficiles solent frequenter exitus habere. c. Requisivit cit.* 2<sup>o</sup>. Quia vis præcisa, & coactio absoluta non conducerent fini matrimonij, quem Judex unicè spectare debet; hic autem triplex est: nempe ratio Sacramenti significantis conjunctionis,

junct  
facta  
viole  
acti  
q. 2.  
hoc  
do,  
si gla  
imm  
latio  
4<sup>o</sup>. E  
nem  
evite  
lita;  
one a  
vel p  
cta n  
num  
7  
filien  
xisse  
cogi  
Spon  
facile  
terne  
ideo  
45.  
ergo  
mod  
priu  
Pala

junctionem Christi cum Ecclesiæ ex libero amore factam ; generatio prolis , quam contemnent violentè conjuncti ; fides conjugalis , quam coacti faciliè violabunt. *c. Omne 10. XXVII. q. 2. c. Fin. de condit. apposit.* 3<sup>o</sup>. Judex in hoc casu , magis favet actori , reum non cogendo , quàm si eum cogeret ; sicut faveret furioso , si gladium eidem denegaret : nam ex coactione imminerent eidem odia , rixæ , dissensiones , violatio fidei conjugalis , fuga compartis coactæ &c. 4<sup>o</sup>. Expedi etiam Ecclesiæ permittere dissolutionem Sponsalium tanquam minus malum , ut evitentur majora mala ex invitis nuptiis oriri solita ; si talia prævideantur. Sæpe etiam à coactione abstinere Judex debet , si mutatio interveniat , vel pericula , quibus prævisis Sponsalia contracta non fuissent , ut docet *Gobat de Sponsal. num. 129.*

73. Ob. 1. Contra 1<sup>am</sup>. partem Concl. Resiliens à Sponsalibus videtur tantùm fictè contraxisse , ergo nè similiter fingat matrimonium , cogi non poterit. *¶. N. Antec.* Cum enim Sponsalia , saltèm coram testibus contracta , non faciliè fingi soleant ; quia talis fictio in foro externo fictori parùm prodesset , juxta dicta. *n. 13.* ideo præsumitur verè contraxisse. *c. Inspicimus 45. de R. J. in 6.* *¶. 2<sup>o</sup>. C. Ant. D. Conseq.* ergo cogi non poterit vi præcisâ , & absolutè *C. moderatè N.* Insuper cogi non debet nisi causâ priùs cognitâ judicialiter , ut docet cum pluribus *Palaus. n. 5.*



74. Ob. 2<sup>o</sup>. Matrimonia ex metu contracta nulla sunt juxta n. 43. Atqui per censuram extorta, essent ex metu cadente in virum constantem ut tanquam certum sentire videtur S. Th. in 4. d. 27. q. 2. a. 1. ad 2. ergo. R. ex metu injustè incusso nulla sunt C. justè incusso, & cui se contrahens priùs liberè subjecit N. Maj. & similiter D. Min. N. Conseq.

75. Ob. 3<sup>o</sup>. Sufficit, quòd injustè resiliens arrhas perdat; ergo non est opus aliâ coactione. R. N. Antec. hæ enim, ut inquit *Zæf. super cit. Decret. de Sponsal. n. 16.* non censentur appositæ hoc fine, ut earum commissione altera pars liberetur, sed in signum contractorum Sponsalium. Præterea arrhæ solent esse minoris momenti, & minùs curantur jam extraditæ, ità ut earum jactura non possit reluctanter sufficienter impellere.

76. Ob. 4<sup>o</sup>. *Capit. 2<sup>m</sup> de Sponsal.*; nihil dicit de coactione, sed tantùm de monitione. ergo. R. Illud loqui de spontè resilientibus per mutuum consensum, sive *qui se ad invicem noluerint admittere*; quos sufficit monere de inconstantia. 2<sup>o</sup>. Satis coactionem indicat *cap. 10. cit.*

77. Ob. 5<sup>o</sup>. Ex *l. Stipulationes 72. §. Celsus ff. de V. O.* deciditur in obligationibus facti, neminem compelli, sed soluto interesse liberari. Ergo nec Sponsus cogendus est, dummodo damna, & interesse compenset. Resp. cum *Palao ex Soncino, & Glossa* legem non intelligendam de quibuscunque obligationibus, sed

fed tantum de iis, quæ æstimationem rei recipiunt; & hæ ex tacita voluntate contrahentium, non sunt ad factum præcisè, sed ad factum, vel interesse. Aliud est de factis, quæ nullo pretio compensari possunt, ut sunt Sponsalia, & matrimonium. Cæterum, etiam scriptum est: *Aliud pro alio invito creditori solvi non potest. l. mutuum 2. §. 1. ff. de Reb. Cred.*

78. Ob. 6<sup>o</sup>. Contra 2<sup>m</sup>. partem. Possunt Sponsalia esse jurata, ergo saltè eo casu valebit vis præcisa. R. C. Antec. N. Conseq. ut patet ex cap. *Requisivit*, & C. *Ex literis*, quæ agunt de Sponsalibus juratis; unde c. *Ex literis* quod coactionem præcipit, benè subdit: Nisi rationabilis causa obstiterit: præstat nimirum tolerare perjurium, quàm alia mala graviora & stabilia ex invitis nuptiis oritura; imò nec perjurium propriè est, si quis rebus mutatis, non servet, quod juravit, quia cùm juraret, intendebat servare promissa.

## QUÆSTIO VI.

*An valeant Sponsalia ante septennium inita si malitia suppleat ætatem?*

*Ex num. 19.*

79. **D**icitur malitia ætatem supplere, si ante septennium juxta num. 19. pro Sponsalibus requisitum, adsit usus rationis, peccati mortalis capax. Negativam tenent complures apud Sanchez, præsertim *Panormitanus*, quem ex Recentioribus sequuntur *Palau D. 1. p. 6.*

D 5

n. 8.

n. 8. *Facchineus l. 3. Controv. c. 26. König super tit. de despons. impub. n. 5. Mastrius citans, Aversam Brancatum &c.* Sed teste Pontio communis est sententia affirmans, quam tenent *S. Th. 4. Dist. 27. q. 2. a. 2. ad 7. Sanch. l. 1. D. 16. n. 9. & 14. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 16. Ilfing tr. 6. D. 9. n. 11. Bonacina. P. Wex, in suo opusc. Canon. Trid. Wiestner de Can. Imped. p. 2. a. 4. n. 14. Gonzalez, Pirrhing, Fagnanus, Canisus, Wagnerek super C. Juvenis 3. de Sponsal. Vallengis super tit. de despons. impub. n. 5. apud hos Covarruv. Præpositus, Barbosa, Conink, Tanner, Amicus, Rebellus, Becanus, Caspensis. Plurimique alij gravissimi, ut inquit Palaus, vel primi nominis Theologi, & Canonistæ, ut ait Wiestner.*

80. Prob. 1<sup>o</sup>. Pro Sponsalibus nihil aliud requiritur, quam consensus duorum deliberatus *l. 1. & 14. ff. de Sponsal.* nam *sufficit nudus consensus ad contrahenda Sponsalia l. 4. eod.* atqui hujus sunt capaces ij, in quibus malitia, seu præcox judicium ad mortaliter peccandum sufficiens, antevertit ætatem, ergo. 2<sup>o</sup>. Juxta *cap. Juvenis 3. de Sponsal.* ex præsumpto usu rationis propter tentatam copulam carnalem, decidit Pontifex ex Sponsalibus puellam nondum septennem contraxisse impedimentum publicæ honestatis, quod non contraxisset, nisi Sponsalia fuissent valida: Nam non *præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. Reg. 52. J. in 6.* 3<sup>o</sup>. Matrimonium etiam ante pubertatem

tema

tem contractum, valet, si malitia, seu potentia generandi suppleat aetatem *c. 9. & ult. de Despons. impub.* quamvis regulariter pro valore Matrimonij requiratur pubertas contrahentium. *c. 6. 10. 11. eod. tit. l. 4. ff. de ritu nupt.* ergo etiam (& quidem à potiori, cum propter eorum dissolubilitatem facile remedium adesset, si malè contraherentur) valebunt Sponsalia, si discretio, & usus rationis aetatem praeveniat; praesertim cum Sponsalia sint via ad matrimonium, ita ut in materia capaci de his statutum censeatur, quod statuitur de matrimonio. *l. Oratio 16. ff. de Sponsal. 4<sup>o</sup>.* Septennium praecise requiritur propter praesumptum in ea aetate rationis usum, ergo si constet eum prius adesse, valebunt Sponsalia. *arg. c. 13. §. Quod si. de Restit. Spoliat. c. 44. de Sent. ex commun.* Nec peccant sic contrahentes, saltè mortaliter, ut cum Sanchez, & aliis docet Palaeus n. 11. quamvis longiore tempore ante septennium contraherent, dummodo de usu rationis certò constet. Sanchez loco cit.

81. Ob. 1<sup>o</sup>. Frustrà statuitur pro Sponsalibus septennium, si valent prius contracta, sed dici simpliciter potuisset, Sponsalia valere inter praedictos usu rationis, cujuscunque aetatis sint. Ergo. R. 1<sup>o</sup>. Indirectè. Ergo etiam frustrà statuuntur anni determinati pubertatis pro matrimonio; sed dici posset simpliciter inter eos valere, in quibus adest perfecta potentia generandi. R. 2<sup>o</sup>. N. Antec. Nam pro hoc determinatum est septennium, ut praesertim in foro externo, in casibus Ordinariis, vel

vel etiam in dubiis, si de pleno usu rationis non constet, præsumi, & decidi possit pro valore Sponsalium, & pro non valore, ante septennium. Cæterum nec post septennium completum Sponsalia valerent, si constaret usum rationis necdum adesse; nam præsumptio cessat, ubi constat de veritate *c. Puberes. 3. de despons. impub.*

82. Ob. 2. Quando certa ætas præscribitur, non licet eam prævenire, nisi lex id expressè permittat, ut patet in professione Religiosa, & in testamentis. Atqui pro Sponsalibus determinatè præscribitur septennium; & priùs inita simpliciter annullantur. *c. 4. 5. 13. de Despons. impub.* nec ullibi approbantur priùs inita. Ergo. Resp. ad Maj. N. liij *expressè*; Sufficit enim si id permittat implicite, vel, prout Vallensis loquitur, in æquivalenti; in quantum matrimonium permittitur, & approbatur, si malitia præveniat ætatem. Præterea satis expressè favet jus utrumque citatum, unà cum plerisque Authoribus. Nihil tale extat pro valore professionis, aut testamenti. Accedit, quòd professio sit contra inclinationem naturæ, majorémque habeat difficultatem, quàm Sponsalia; insuper semel facta dissolvi non potest, adeoque strictiùs in illa tempus præfixum observandum est, quàm in Sponsalibus.

83. Ob. 3<sup>o</sup>. Nec leges, nec Canones pro conclusionem citati probant valorem Sponsalium ante septennium. Ergo. Antec. prob. 1<sup>o</sup>. Canones *c. 4. 5. 13. de desponsat. impub.* requirunt simpliciter septennium, ergo contra eos non prævalent

valent leges, si dentur aliquæ his capitulis oppositæ. 2<sup>o</sup>. *Lex 14. ff. de Sponsal.* licet dicat à primordio ætatis Sponsalia effici posse, dummodo contrahentes intelligant, quid agant, mox subdit conditionem limitantem: *Si modò non sint minores septem annis*; ergo septennium essentialiter requiritur. 3<sup>o</sup>. Leges tantùm insinuant pro Sponsalibus *jure natura*, non requiri determinatam ætatem, dummodo constet de usu rationis, ex quo non sequitur valere *jure positivo* Sponsalia ante præscriptam ætatem contracta; vel dicunt stante septennio ea valere, dummodo constet de usu rationis, non autem valere ante septennium. 4<sup>o</sup>. Neque *cap. Juvenis* quidquam evincit; nam quamvis asserat ex Sponsalibus cum septenni puella contractis fuisse ortum publicæ honestatis impedimentum, dici poterit illa Sponsalia vel fuisse dubia, vel priùs quidem irrita, verùm post septennium fuisse novo consensu renovata, & revalidata; juxta *c. Un. de Sponsal. in 6.* vel jure antiquo impedimentum illud contrahi potuisse ex Sponsalibus quibuscunque, etiam invalidis, dummodo non essent invalida ex defectu consensûs *c. cit.* ergo.

84. Resp. N. Antec. Ad 1<sup>am</sup>. ejus probationem D. Antec. requirunt septennium, regulariter, præsumptivè (præsumptione tamen mutabili per oppositam veritatem) & si non constet de usu rationis priùs adepto C. extraordinariè N. Antec. & suppositum Consequentis, quòd nempe leges citatæ Sacris Canonibus adversentur, imò, ut aliàs, ità etiam hìc, *Sacrarum statuta*  
 Cano-

*Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur. c. Intelleximus 1. de Novi Oper. Nuntiat. neque hic obstat Leonis novella 109. dicentis : Sancimus , nè quomodo ante septimum etatis annum Sponsalia constituantur : Nam robur non habet juxta dicta num. 44. præsertim contra jus Canonicum , vel loquitur de casibus ordinariis , unde subdit : atque hoc quidem , quantum ad communem publicumque Reip. usum attinet , ita vetitum sit.*

85. Ad 2<sup>m</sup>. R. Subdit conditionem limitantem pro casibus Ordinariis , vel ubi de usu rationis adepto non constat C. secus N. Unde aliæ leges simpliciter sinè dicta limitatione loquuntur ; ut notat *Gonzalez super cap. Accessit de despons. Impub.* & nisi dicta lex sic explicetur , ipsa sibi contradicet , dum ait : *In Sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est , ut in matrimoniis ; quapropter à primordio ætatis Sponsalia effici possunt :* Nam si essentialiter septennium requiritur , hoc ipso erit hæc ætas definita ; nec poterunt Sponsalia ante eam à primordio ætatis contrahi.

86. Ad 3<sup>m</sup>. R. N. iterum Antec. Nam arbitraria est hæc explicatio legum , unius alteriusve Authoris , cum interim oppositum sentiant Authores , teste *Ilfung innumeri* ; & leges accipiendæ sint , prout sonant , nisi quid obstat.

87. Ad 4<sup>m</sup>. R. Nec harum explicationum ullum fundamentum extare ; sive in ipso Capitulo , sive in ejus Interpretibus. Et si Sponsalia pubia fuissent , non potuissent inducere impedimenta ;

mentum publicæ honestatis, *arg. Reg. In obscu-  
ris &c. f. in 6.* Si fuissent renovata, non di-  
cerentur simpliciter cum puella nondum septenni  
fuisse contracta, sed fieret mentio illius renova-  
tionis. Denique ut *ex Barbosa* notant *P.  
Wiestner num. 15.* Sponsalia ex defectu essen-  
tialiter requisitæ ætatis invalida, sunt invalida ex  
defectu consensûs *legitimi*, ergo illa Sponsalia  
ante septennium contracta fuissent invalida ex  
defectu consensûs; & sic non peperissent impe-  
dimentum publicæ honestatis.

88. Ob. 4. Quamvis in Matrimonio possit  
malitia supplere ætatem, tamen ab hoc non bene  
arguitur pro Sponsalibus. 1<sup>o</sup>. Quia pro matri-  
monio stat expressa decisio. *c. 9. § ult. de de-  
sponsal. Impub.* non item pro Sponsalibus. 2<sup>o</sup>.  
Quia esset periculum fornicationis inter tales  
Sponsos, ad quod avertendum potius permitti-  
tur matrimonium, ante ætatem à jure requisitam,  
dummodo malitia ætatem suppleat, tale pericu-  
lum autem non est in Sponsalibus ante septen-  
nium initis.

89. Resp. D. Antec. non bene arguitur in o-  
mni casu, ubi lex vel ratio obstat, nec ullum  
habetur sic arguendi fundamentum in jure (Non  
bene arguitur in multis casibus (aliàs enim cit.  
*lex oratio* inutilis foret) ubi leges favent, &  
canones, & ubi teste Sanchez, Ilfung &c. po-  
tius ratio stat pro Sponsalibus, ut ante requisi-  
tam ætatem valeant, (cùm post adeptam puber-  
tatem liberè dissolvi possint, si forent incom-  
moda



moda ) N. Ad 1<sup>m</sup>. probat. R. etiam pro Spon-  
salibus haberi non modò implicitas, sed etiam  
fatis explicitam decisionem in *cap. Juvenis*; &  
in legibus pro *Conclus.* citatis. Ad 2<sup>am</sup>. pro-  
bat. R. Quamvis Sponsalia non permittantur,  
ut simile periculum avertatur, eorum tamen va-  
lorem probant alia, ut patet ex iis, quæ pro con-  
clusionem sunt adducta.

90. Ob. 5. Septennium pro Sponsalibus  
non præscribitur propter præsumptum usum ra-  
tionis, sed ad evitandas fraudes, & confu-  
siones, quæ facilè orirentur nisi certa ætas sta-  
tueretur. Ergo hæc in omnibus requiritur,  
sicut sinè tali præsumptione certa requiritur pro  
professione. *Trid. Sess. 25. c. 15. de Regul.*  
& pro Testamentis, *l. à qua etate 5. ff.*  
*Qui testam. fac.* Resp. N. Antec. nam hanc  
causalem dant cum S. Thoma, passim Autho-  
res, sicut à pari certa ætas præscribitur pro  
matrimonio, propter præsumptam in ea ætate  
potentiam generandi: & ratio est; quia leges  
nihil aliud pro Sponsalibus requirunt, quam  
usum rationis, sicut jure naturæ nihil aliud  
requiritur. Ergo cum hic adesse soleat cum  
septennio, ideo hoc determinatum est,  
quia usus rationis adesse  
præsumitur.

QUÆSTIO VII.

*An septennium ordinariè pro Sponsalibus requisitum debeat esse physicè completum?*

*Ex num. 19.*

91. **Q**Uando non constat, quòd malitia suppleat ætatem, pro Sponsalibus sufficere septennium moraliter tantum completum, docent cum S. Thoma multi à Sanchez citati, *lib. 1. D. 16. n. 4. Bonacina &c.* probabiliùs tamen requiritur physicè completum, sive de momento ad momentum. Ità *Sanch. l. cit. Palauus D. 1. p. 6. n. 5. Gonzalez super c. Accessit, de desponsat. Impub. Super eundem tit. Pirrhing n. 2. König n. 6. Wagnerek super cap. Continebatur eod. tit. Ilfung tr. 6. D. 9. num. 10. Wiestner, Oberascher, Mastrius; apud hos Coninck, Pontius, Hurtadus plurimiq; alij. Prob. 1<sup>o</sup>. Jura requirunt septennium completum. c. 4. & 5. de Despons. impub.* atqui completum non est, si vel una dies desit; nam annus constituitur per menses, hi per hebdomadas, hebdomadæ per dies, ità ut vel una die deficiente, non sit hebdomas, consequenter nec mensis, nec annus. Ergo. Prob. 2<sup>o</sup>. Ubi non constat de vero consensu, pro Sponsalibus, saltèm requiritur, de jure præsumptus, atqui hic ante septennium physicè completum non præsumitur, ut patet *ex cit. cap. & fusè probat Gonzalez: unde ante*

E

septen-

septennium censentur esse infantes, ignorare quid agant, expertes iudicij, & rationis, parùm distare à furiosis, nullam rem agere, nec stipulari, nec delicta admittere, nec petere possessionem &c. Ergo. Prob. 3<sup>o</sup>. In aliis casibus non licet tempus à jure præscriptum antevertere (ut patet in tempore præscripto pro professione religiosa. *Trid. Sess. 25. c. 15. de Regul. in bimestri concessio conjugibus ad deliberandum de religionis ingressu c. Ex publico. 7. de Convers. Conjugat.*) nisi hoc alio juris textu permittatur; aliàs cuilibet licitum foret, tempora de jure præscripta restringere, vel ampliare; ad quod evitandum certa tempora determinata sunt, ergo nec in Sponsalibus tale quid licebit.

92. Ob. 1<sup>o</sup>. Ex Aristotele, *quod parùm distat, nihil distare videtur. 2. Physic. & secundùm Juris Consultos parùm pro nihilo computatur.* R. 1<sup>o</sup>. Hæc axiomata non valere pro aliis actibus, v. g. pro professione Religiosa, ergo nec pro Sponsalibus. R. 2<sup>o</sup>. Illa locum habere in rebus arbitrariis, non autem in determinatis à jure. Aliàs in rebus ejusmodi nihil certi habebitur; poterunt enim pro diversitate iudiciorum, duo, tres, pluresve dies aut hebdomadæ, ab aliquibus multùm ab aliis parùm judicari.

93. Ob. 2<sup>o</sup>. Jura tantùm petant *compleri* septennium, nihil determinando, an physicè, an moraliter. Ergo sufficet illud compleri moraliter. R. Juxta dicta pro Conclusionem, petunt illud compleri verè C. tantùm juxta æstimationem hominum N. si autem vel hora desit, jam non

non est completa dies, consequenter nec hebdomas, nec mensis, nec annus. Et si sufficit septennium compleri moraliter, nec opus erit, ut physicè compleatur annus novitiatus, ætas pro professione requisita &c. Et certè si quis Sponsalibus ante Septennium physicè completum contractis stare nollet, nullo jure compelli posset: Canones enim in materia odiosa strictè, & potiùs pro obligatione explicandi forent.

94. Ob. 3. Cingi confestim jussus, & necdum cinctus, jam gaudet jure cincti. *l. pen. ff. de testam. Milit.* Et testari potest, qui ultimam diem ætatis pro testando requisitæ attigit, licèt eam non compleverit; idque pro favore testamenti. *l. quâ atate. 5. ff. Qui testamenta facere &c.* Ergo simile quid dicendum est de Sponsalibus pro favore matrimonij. Resp. Quamvis Sanchez, Pirrhing, Wagnerek, Vallensis pluresque alij probabiliter doceant, sufficere; si dies ultima septennij compleatur, probabilior tamen videtur Sententia Palai, Gonzalij, Telletz, Wiestneri &c. docentium requiri septennium plenè completum. *arg. l. denique §. 3. de Minor.* Quo ad testamenta disparitas est; tum quia pro his *loc. cit.* expressè fit exceptio, non verò pro Sponsalibus; tum quia testari est favorabile, non verò alteri usque ad annos pubertatis obligari, & impedimento publicæ honestatis gravari.

95. Ob. 4. Annus non naturaliter juxta horas & momenta, sed juxta dies computari solet, *l. Anniculus 134. ff. de V. S.* ergo satis erit

dummodo suprema septennij dies inchoetur. Conf. Quando *Tridentinum Sess. 23. c. 12. de reform.* certos annos pro Ordinibus requirit, sufficit eos esse inchoatos, similiter pro interstitiis, satis est interposuisse annum Ecclesiasticum, non verò naturalem, aut mathematicè completum; sic qui in quatuor temporibus quadagesimæ suscepit Subdiaconatum, poterit sequenti anno in iisdem ordinari in Diaconum, quamvis Pascha, & per consequens etiam 4. tempora citius adveniant. Ergo à pari.

96. R. D. Antec. Solet juxta dies computari quando leges non requirunt expressè tempus completum, vel in casu favorabili C. dum hoc requirunt, vel ubi agitur de gravi obligatione, & onere imponendo, quale est impedimentum publicæ honestatis N. Sic à pari P. *Wex in sua Epit. Canon. p. 1. C. 5. §. 1. n. 9.* juxta communem Sententiam requiritur Mathematicè completum: quia hoc favorabile est Novitio, si maturius statum amplectendum perpendat, similiter etiam Religioni, nè teneatur deinceps alere, & regere professum, fortè non satis idoneum; è contra esset odiosum, citius mutuam obligationem contrahere, adeoque lex annum requirens strictè interpretanda est. Atqui à potiori eadem ratio stat pro Sponsalibus. Ergo. Ex hoc patet disparitas ad confirmationem, præterquam quòd in casibus pro paritate adductis, nullibi dicatur, annos illos debere esse completos; & praxis, Doctorum autoritas, & variæ declarationes Romanæ apud Gallemart stent pro incompletis.

97. Ob,

97. Ob. 5. Septennium pro Sponsalibus præcisè determinatum est propter præsumptionem usûs rationis, atqui ex defectu unius alteriusve diei, vel horæ, non cessat illa præsumptio; ergo talis defectus non oberit Sponsalibus. R. D. Maj. est determinatum *completum*, idq; ex favore contrahentium. C. est determinatum simpliciter, contra contrahentes N. Maj. imò & minorem; nam cum jura præsumptionem statuunt in septennio completo, cessabit illa præsumptio juridica si aliquid desit, quamvis fortè non cessaret præsumptio privata. Unde hanc quæstionem concludo cum *Sanch. l. C. n. 6. Quoties tempus est à jure determinatum, currit de momento ad momentum. arg. l. 3. §. Minorem. ff. de Minor. & ibi Glossa & D. D. l. Pater §. Sexaginta ff. de Adulter. & ibi Bart. l. eos §. fin. C. de Appellat. & ibi Bald. l. 2. §. dies ff. quando appellandum sit. & ibi glossa, & probari potest ex Bimestri concesso ad deliberandum de Religionis ingressu c. Ex publico de Convers. Conjugat. & ex ætate ad professionem requisita, c. 15. Sess. 25. de Regul. Trid. in quibus dies inceptus, non habetur pro completo, uti probat Th. Sanchez, l. 2. D.*

24. num. 22. ergo idem est dicendum in septennio pro Sponsalibus requisito.



## QUÆSTIO VIII.

*An Sponsalia per Parentem pro Infante contracta, hunc puberem factum obligent?*

*Ex num. 15.*

98. **R**esp. Regulariter non obligant, ita *Sanch.* l. 4. D. 23. num. 3. cum plurimis cit. *Laym.* l. 5. Tr. 10. p. 1. c. 1. n. 12. *Gonzalez* in cap. 1. de desponsat. impub. fuse de hoc agens. *Bonacin.* T. 1. de Spons. q. 1. puncto 4. n. 8. & 9. *Pirrhing* n. 17. *Canisus* num. 2. *Wagnerek* & passim *Canonistæ* super cap. 1. de Despons. Impub. *König* num. 8. super tit. de Sponsal. *Oberascher* de Sacram. Matrim. *Contra Navar.* *Sotum*, & alios apud *Sanch.* num. 2. Prob. 1<sup>o</sup>. Ubi non est consensus utriusq<sup>ue</sup>, non est conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, & è converso, nihil faciunt; nisi uterq<sup>ue</sup> puerorum, postquam venerit ad annos discretionis, consentiat, etiamsi Pater, & Mater hoc voverint (alij legunt, voluerint) & fecerint. c. Un. XXV. q. 2. & supra n. 4. 5. 6. dictum est, Sponsalia non dari sine consensu. 2<sup>o</sup>. Juxta cap. Un. §. fin. de Despons. Impub. in 6. Sponsalia pro filiis absentibus, aut ignorantibus contracta, hos non obligant, nisi eadem postmodum libero suo consensu ratificaverint. Ergo idem dicendum est de Sponsalibus, quæ Parens contraxit pro infante.

fante. 3<sup>o</sup>. Teste *Angelico in 4. Dist. 29. q. un. art. 4.* In matrimonio est quasi servitus quædam perpetua, & ideo cùm homo liberæ conditionis sit, non potest ad hanc servitutem compelli, quod tamen fieret, si obligaretur Sponsalibus, non suâ, sed Parentum voluntate contractis. Idem S. Doctor 2. 2. q. 104. a. 5. ait; in his, quæ ad proprij corporis sustentationem proliisque generationem attinent, omnes homines esse pares, nec filios subijci Parentibus: Subjicerentur autem, si eos ligarent Sponsalia à Parentibus contracta. Unde *c. Cùm virum 12. de Regul.* dicitur: de puella quadam: *Quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi Parentum non cogitur voluntatem.* 4<sup>o</sup>. Juxta num. 4. & 42. Matrimonia debent esse liberrima; talia autem non essent si liberos non consentientes stringerent Sponsalia per Parentes contracta ergo.

99. Ob. 1<sup>o</sup>. *c. 1. de Despons. Impub. in fine* expressè de filio in infantia desponsato dicitur: *Postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere.* Ergo. R. Cum multis apud *Sanch. l. c. debet*, debito decentiæ, & honestatis C. debito præcepti N. R. 2<sup>o</sup>. Debet per accidens, & quidem debito charitatis, si Parentis multùm interfit, ut si per ejusmodi nuptias gravissimæ lites componi, aut Parens alio modo non sustentabilis, à filio per nuptias ad magnas opes promovendo, sustentari possit (si tamen filius aliunde ducturus erat, & Sponsalibus aliis non sit innodatus) *Con. debet*



per se, & absque talibus circumstantiis N. R.  
 3<sup>o</sup>. Cum Barbosa in Collect. hic: *debet*, hoc est,  
 obligatur, usque ad pubertatem (si post septen-  
 nium Sponsalia tacite, vel expresse ratificavit)  
 & postmodum simpliciter; si pubes factus non  
 reclamavit in continenti, juxta dicta n. 19. C.  
 Debet præcisè vi Sponsalium per Parentes contra-  
 ctorum N. Denique secundum Canisium de-  
 bet, si nulla sit rationabilis causa resiliendi; vel  
 juxta Layman. debet implere, hoc est consensum  
 matrimonij elicere, ex supposito quòd velit ha-  
 bere verum matrimonium, quod sinè proprio  
 consensu contrahentium non subsistit, non debet  
 autem debito *absoluto*. Vide Gonzalez & Pir-  
 hing *super illud cap.*

100. Ob. 2<sup>o</sup>. Eo solùm casu filix conceditur  
 licentia dissentiendi à voluntate Patris, quo in-  
 dignum moribus, vel turpem Sponsum ei Pater  
 eligeret. *l. sed quæ Patris 12. ff. de Sponsal.*  
 ergo extra hos casus debet voluntati Patris obe-  
 dire. R. 1<sup>o</sup>. Jus civile, & hoc loco & l. 7. §.  
 1. ff. de Sponsal. & l. 2. ff. de ritu nupt. & l. 5.  
 I 2. 20. C. de Nupt. & Princ. Instit. de Nupt.  
 solùm loqui de debito decentiæ, & honestatis,  
 non necessitatis, cùm aliàs pro Sponsalibus ex-  
 presse requirat consensum contrahentium. ut l.  
 II. & 13. ff. de Sponsal. R. 2<sup>o</sup>. Leges esse  
 correctas per Canones, præsertim dum etiam  
 matrimonia sinè consensu Parentum inita dicunt  
 esse invalida, contra decisionem Trident. Sess.  
 24. c. 1. De reform. Matr. Imò Canisius in  
*præfat. super Tit. de Sponsal. ait: leges Civiles*  
 de

de matrimonio contrahendo, vel distrahendo  
disponentes, ( quantum nempe ad substantiam  
matrimonij ) nullius esse momenti, quod ipsum  
exemplis probat vide Zoef. super tit. de Spon-  
sal. in Decretal.

101. Ob. 3<sup>o</sup>. Potest filius à Parente in ne-  
cessitate vendi, l. 2. C. de Parric. qui filios.  
ergo etiam desponsari. R. 1<sup>o</sup>. Potest vendi, ut  
labore suo pretium pro Parentis sustentatione  
comparet ; & insuper sic, ut quodocunque  
possit redimi C. potest vendi in strictam servitu-  
tem, sinè spe redemptionis, prout spem non  
habet liberationis à matrimonio semel inito N.  
Antec. & Conseq. R. 2<sup>o</sup>. D. Conseq. juxta  
dicta num. 99. Potest desponsari, si per hoc suc-  
curratur Patri extremè indigo, & si nihil obstat  
C. secùs N. Disparitas præterea est, quòd sic  
venditus non obligetur ad specialem amorem  
Domini ; obligetur autem Maritus ad amorem  
uxoris, quomodo verò amabit, quam invitus  
ducit ?

102. Ob. 4<sup>o</sup>. Sæpius à Parentibus Illustribus  
Infantes desponsati fuerunt. Ergo hi adultiores  
facti, tenentur obedire, alioquin desponsationes  
illæ forent frustraneæ. 2<sup>o</sup>. Jure gentium indu-  
ctum, & Pontificio confirmatum est, c. 1. 3. 4.  
XXX. q. 5. c. Honorantur 13. XXXII. q. 2.  
ut proles à Parentibus nuptui tradantur ergo.

103. Resp. Id quidem nonnunquam acci-  
disse ; scribit tamen Nicolaus Myler ab Ehren-  
bach apud König supra citatum ; ejusmodi im-  
matura Sponsalia saniores Politicos ferè omnes

dissuadere, utpote invalida, & ut plurimum fluctuosa. Nihilominus frustranea prorsus non sunt, quia saltē pars altera obligabitur tanquam simplici promissione juxta dicta n. 62. Similiter obligantur Parentes, nē posthac resistent, si proles adultior facta in talem promissionem consenserit, sed ut ex sua parte tali consensui procurando potiùs cooperentur. *arg. c. un. XXXII. q. 3.* Ad 2<sup>m</sup>. R. Inductum & confirmatum est, ut tradantur nuptui, cum consensu, saltē tacito earum, qui sic traduntur, juxta num. 15. C. sinè consensu, aut ratificatione eorum N.

### QUÆSTIO IX.

*An valida sint Sponsalia sinè consensu Parentum inita?*

104. **M**atrimonia sinè consensu Parentum inita valere, definit *Trid. Sess. 24. c. 1. de Reformat. matrim.* ubi anathemate ferit, dicentes: *Matrimonia à filiis familias sinè consensu Parentum contracta, irrita esse, & Parentes ea rata, vel irrita facere posse:* Quia nempe illis concessum non est impedimenta matrimonij statuere: quamvis teste *Wagnerek super c. 1. de Despons. Impuberum*, aliqui Juris Consulti & cum his Lutherus, Melanchton, Erasmus, docuerint, ea non valere refutati; à *Bellarmin. l. 1. de Matrim. c. 19.* & *Canisio super c. 1. de Desponsal.* Unde quæstio est de talis Sponsalibus; ad quam

105. Dicendum: Valent Sponsalia sine consensu Parentum inita, nisi ipsum Matrimonium non possit licite contrahi. Ita *Sanch. l. 4. D. 23. n. 10. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. num. 14. Pirrhing n. 91. Vallensis §. 9. n. 2. König n. 47. de Sponsal. Gonzalez super cap. 1. & Engel n. 11. de Despons. Impub. Sporer Tyroc. Sacram. p. 4. c. 1. n. 176. Oberalcher de Sacram. p. 2. tr. 2. c. 1. §. 2. Prob. 1<sup>o</sup>. Juxta dicta n. 4. 5. 6. 42. Matrimonia debent esse libera, nec possunt proles invitæ à Parentibus certo conjugio sociari c. De Neptis 3. XXXII. q. 2. in cujus quæstionis initio dicitur: *Quòd autem aliqua non sit cogenda nubere alicui, Ambrosius testatur super Epistolam primam ad Corinth. 7. Nubat cui vult, tantum in Domino, id est, quem sibi aptum putaverit, illi nubat: quia invitæ nuptiæ solent malos proventus habere* &c. atqui si essentialiter Parentum consensus requireretur pro Sponsalibus, subsecuta matrimonia non essent satis libera, sed sæpe coacta, nam, ut *Zoesius* loquitur super *Trid. de Sponsal. n. 69. Parentum stultitia, aut avaritia, non rarò impediret honestas affectiones liberorum*; adeoque non vellent consentire, nisi in certam personam, quæ ipsis, non autem filio, vel filiæ placeret. Ergo. 2<sup>o</sup>. Conjugium exigit perpetuam Societatem mutuo amore conglutinatam, amor autem debet spontè nasci, & ex propria voluntate; *quod enim quis non eligit, nec optat, profectò non diligit. c. Prasens 4. XX. q. 3.* atqui hic amor sperari*

NON

non posset ex Sponsalibus, non tam à propria propensione, quàm à Parentum consensu dependentibus; ergo ab illo non dependent essentialiter. 3<sup>o</sup>. Sponsalia insciis, aut invitis Parentibus contracta, esse valida ipsa praxis Ecclesiæ evincit, quæ solet Sponsos etiam clam contrahentes ad fidem servandam compellere, nec ullibi de jure exigitur ad Sponsalium valorem Parentum consensus; ergo sinè eo, valent Sponsalia; sicut valent contractus alij à filiis initi; præsertim cum pro Sponsalibus major libertas requiratur, quam pro aliis contractibus. Unde *c. 2. XXVII. q. 2.* dicitur *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctione agitur.*

106. Ob. 1<sup>o</sup>. Leges irritant Sponsalia sinè consensu Parentum inita: ut *lex 7. §. 1. ff. de Sponsal. l. 2. ff. de ritu nupt. l. 5. & 12. C. de Nupt. in princ. Instit. de nuptiis.* Dicit Justinianus, quòd *Civilis & naturalis ratio suadeat consensum Parentum esse requirendum.* Ergo. R. Juxta num. 100. eas leges in hoc puncto vim non habere, vel esse correctas, cum etiam matrimonia irrita pronuntient, quod tamen falsum est juxta num. eundem vel tantum suadent, ut consensus Parentum requiratur, sed non præcipiunt, imò licèt hoc præciperent, & aliter Sponsalia fieri prohiberent, nondum sequitur, sinè eo consensu inita irritari: Nam *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem c. Ad Apostolicam 16. de Regular.*

107. Ob. 2<sup>o</sup>. Canones non agnoscunt matrimonium esse legitimum, nisi Parentes consentiant. *c. 1. 3. 4. XXX. q. 5. c. 13. XXXII. q. 2.* Ergo eorum consensus est essentialis. *R.* agnoscunt non esse legitimum, seu non ita congruum, & conveniens, ut res tanti momenti sine consilio Parentum tractetur *C.* non esse legitimum seu invalidum *N.* hoc enim repugnat Tridentino juxta num. 104. *R.* 2<sup>o</sup>. Agnoscunt non esse legitimum, seu illicitum *C.* non esse legitimum seu non esse validum *N.* Antec. & Conseq. Fateor cum Sanchez, Laym., Gobat, & plerisque aliis, regulariter illicita esse Sponsalia tum de presentis, tum de futuro, absque consilio, & consensu Parentum inita, nisi rationabilis causa excusaret, v. g. si contrahentes praeviderent, se à matrimonio honesto, & utili impediendos, aut ad indignum stimulandos à Parentibus; non tamen erunt ejusmodi Sponsalia eo ipso invalida.

108. Ob. 3<sup>o</sup>. Matrimonium sine consensu Parentum initum saltè est illicitum, ergo promissio talis matrimonij, seu Sponsalia simpliciter sunt invalida; *Prob. Conseq.* Promissio illicita, seu contra pietatem; & bonos mores, simpliciter non tenet. *c. In malis. 5. XII. q. 4. c. 58. § 69. de R. F. in 6.* Ergo. *R.* *D.* Antec. est illicitum aliquando, si nempe absque omni rationabili causa, vel ex contemptu non petatur talis consensus *C.* est illicitum semper, etiam dum rationabilis causa adest, quæ excuset à petendo consensu *N.* Antec. *D.* etiam Consequens; ergo pro-

promissio talis matrimonij, ut contrahendi sine consensu Parentum est invalida, si rationabilis causa non excuset C. Conseq, promissio matrimonij simpliciter, sine consensu Parentum facta est invalida N. Conseq. Hoc verum est; si quis promittat ipsam exclusionem, vel contemptum consensûs Paterni, erit ea promissio invalida utpote de re turpi, si verò promissio sit de Matrimonio, quod in se objectum bonum est; licet ipsa fiat sine Parentum consensu, erit promissio valida. Unde ad probationem R. Promissio illicita ex objecto, (hoc est dum ipsum objectum pietati, aut bonis moribus adversatur) non tenet C. promissio illicita ex modo, aut circumstantiis non tenet N. Antec. & Conseq. Sic illicita est donatio vel promissio prodiga, & tamen tenent.

109. Ob. 4<sup>o</sup>. Promittentes sine consensu Parentum graviter peccant; quia eorum matrimonia, solent esse scandalis, rixis, litibus, obnoxia; præsertim si cum indignis, in familiæ prostitutionem ineantur. Ergo eorum promissiones non possunt esse validæ. R. Permissio Antec. D. Conseq. non possunt esse validæ ubi hæc mala imminent Trans. non possunt esse validæ, si mala hæc absint, nec quidquam aliud desit præter consensum Parentum N. Conseq. Unde in conclusione dictum est: *Nisi ipsum matrimonium non possit licitè contrahi.*

110. Si prædictæ circumstantiæ absint, probabilius solum venialiter peccabunt contrahentes sine Parentum consensu: cum hi non possint in  
tali

tali casu rationabiliter esse inviti; si insuper contrahentes in illo casu ex *rationabili causa* consensum Parentum petere omittant, nullo modo peccabunt; sicut non peccant, vel saltè non graviter, si contrahant, dum consensum petitum, Parentes irrationabiliter denegant: ut bene docent *Gobat, Sporer &c. ex Sanchez & aliis.* Respondent alij cum *Lessio l. 2. de J. & J. c. 18. dub. 1. n. 9. C. Antec. N. Conseq.* licèt enim graviter peccent contra pietatem, & charitatem, non tamen peccant contra justitiam, adeoque probabiliter promissio tenet; Magistratus tamen prædicta gravia mala prævidens, debet eam irritare, & tales Sponsose separare, teste *Laym. Lessio, Navar., Guttier. apud Gobat. & Sanchez l. I. D. 14. n. 3.*

III. Ob. 5<sup>o</sup>. Pater potest vota filiorum, sinè suo consensu, aut in suum præjudicium facta irritare, ut docent Theologi, & Canonistæ *super tit. de voto & voti Redempt.* Ergo etiam Sponsalia. R. 1<sup>o</sup>. Ex hoc ipso probari Sponsalia sinè consensu Parentum facta, non esse irrita, sed irritanda; itèm illa fieri posse sinè consensu Parentum, sicut possunt emitti vota; R. 2<sup>o</sup>. N. Conseq. Disparitas est 1<sup>o</sup>. Quia DEUS, cui soli vota fiunt, non acceptat facta in præjudicium tertij; vel cedit suo juri, ne tertius lædatur; Sponsalia autem à comparte acceptantur, quæ non tenetur cedere juri suo. 2<sup>o</sup>. Juxta dicta pro Conclusionem hujus, & præcedentis quæstionis; major libertas requiritur in contrahentibus, quàm in voventibus; ità ut etiam regulariter obligent  
vota



vota metu extorta, non autem Sponsalia juxta dicta num. 34. 3<sup>o</sup>. Ea quæ sunt publici juris (prout sunt: Sponsalia) non sequuntur jus patriæ potestatis teste *Zoëzio de Sponsal. n. 69. & in is, quæ ad Sacramenta pertinent* (prout positivè pertinent Sponsalia) *non consideratur patriæ potestas.* inquit *Vallensis loco supra cit. ex c. fin. de Judiciis*; nihil tale urget pro votis. Præterquam quòd regulariter Parens vota filij tantum in impubertate emissa annullare possit, ut sic detur aliquod remedium, si fortè filius in tenella ætate aliquid non satis prudenter vovisset, pro Sponsalibus autem in impubertate contractis adhuc adest remedium, quia adeptâ pubertate ipsi contrahentes liberè resilire possunt; juxta dicta num. 19.

112. Ob. 6<sup>o</sup>. Parentes tenentur pro filiorum nuptiis esse solliciti: ergo hi vicissim tenentur illis obedire, & ab eorum consensu pendere; ne neglecti, tanquam gravissimâ injuriâ offendantur. 2<sup>o</sup>. Filij in re tam gravi, tenentur Parentum consilium petere. Ergo etiam tenentur eidem obedire, alioquin frustrâ illud peterent. Et. Etiam tenentur esse solliciti de filiis promovendis ad sacerdotium, vel Religionem, si filij ad hæc aspirent; non tamen sequitur horum susceptionem sinè Parentum consensu factam, esse irritam: Unde objectio solum probat, inobedientiam filiorum in hoc puncto (nisi justæ causæ excusent) adversari pietati, & esse illicitam; quamvis Sponsalia non irritet. In forma D. Conseq. Ergo tenentur obedire ex debito pietatis, C. debito justitiæ,

tiæ, ita ut ejus violatio strictam injuriam involvat, vel Sponsalia irritet N. Conseq. Ex quo patet responsio ad 2<sup>m</sup>. Item ad objectionem Hæreticorum; illud ex Decalogo oggerentium, *Honora Patrem &c.* Præterquam, quod ibi honor præcipiatur in genere, non verò in particulari causa Matrimonij, pro quo stare possunt rationes exceptivæ. Aliàs nec sinè consensu Matris liceret, aut valeret Sponsalium contractus, cum & hæc honoranda sit: quod tamen negant ipsi adversarij, ut bene advertit Zœs. unde hic valet illud: *Relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ. Gen. 2. v. 24.*

113 Ob. 7<sup>o</sup>. Contrahentes sinè consensu Parentum possunt vi legum Civilium exhæredari, aut illis dos denegari. Ergo signum est eorum contractum non valere. R. Dissimulato Antec. N. Conseq. quia tantum sequeretur, talem contractum, tanquam illicitum hæc pœnâ puniri posse, licet validus sit. R. 2<sup>o</sup>. N. Antec.; nam nec Justinianus hanc inter causas exhæredationis ponit; nisi fortè filia mallet luxuriosè vivere, quàm à Parentibus in matrimonio honesto elocari; ut ex Panormitano notat Vallensis; nec lex civilis vim habet contra Canones, libertatem Matrimonij requirentes, ut fusè deducit Sanchez l. 1. D. 24. 25. & 26. Gobat ejusmodi leges dicit esse abrogatas. Quod si alicubi ad impedienda gravia mala leges, vel consuetudo quarundam Regionum cum Pontificis consensu inductæ vetant, nè Personæ illustres, saltè Coronæ ca-

paces, sinè consensu Principum, nuptias, præfertim cum exteris contrahant; quemadmodum teste P. Wex ex Spondano ad annum 1635. Clerus Gallicanus declaravit, non valere Gallorum Regij sanguinis, & successionis capacium, conubia, sinè consensu Parentum inita; non præjudicant juri communi; & *nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Reg. 28. J. in 6. vide *Arnold. König* super tit. de Sponsal. n. III. & seq.

### QUÆSTIO X.

*An aliquando saltèm in casu variore valeant Sponsalia inita cum Persona Heretica?*

114. **H**Æc quæstio dependet ab illa, utrùm talium matrimonia semper sint illicita? Pro non valore aliqui simpliciter citant *Tannerum, Marchantium, Gobat &c.* Sed hi Authores non videntur loqui simpliciter pro omni casu, sic ipse *Gobat de Sponsal. n. 101.* tantùm dicit, quòd *communiter* non valeant.

Quare dicendum est, ea aliquando valere, ut tenet *Sanchez l. 2. D. 72. n. 5. Cum Navarro & Azor. Laymannus l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 2. Palau de Sponsal. D. 4. p. 11. n. 10. & 11. cum Conink, Guttier., Gasp. Hurtado. Pirrhing super tit. de Sponsal. n. 165. & seq. Ilfing tr. 5. D. 9. n. 88. cum P. Amico. Arsdékin p. 3. tr. 6. q. 22. usque ad 25. & apud hunc*

*hunc  
Disp  
cium  
Ober*

*II  
illicita  
pericu  
lium,  
quibu  
cessan  
ut pra  
lerati  
licita  
confe  
prom  
alij c  
ejusm  
v. g.  
exerc  
ctio &  
q. 1.  
si spo  
Ergo  
Hæc  
lonia  
tradi  
adeo  
I  
ut si  
bere  
lum  
per*

hunc Lessius, Tiring, Becanus, Lugo de Fide  
 Disp. 22. Sect. 2. citans Reginald. & Filiuc-  
 cium. Denique Engel, König, Wiestner,  
 Oberascher &c.

115. Prob. 1<sup>o</sup>. Matrimonia cum Hæreticis  
 illicita sunt solummodo propter scandalum, vel  
 periculum perversionis, malæ educationis pro-  
 lium, jurgiosæ cohabitationis &c. atqui in ali-  
 quibus casibus, quamvis rarissimis, talia mala  
 cessant, daturque contra ea sufficiens securitas,  
 ut praxis docet in iis locis, in quibus Hæretici to-  
 lerati Catholicis permiscuntur, ergo in his casibus  
 licita erunt cum Hæreticis matrimonia, & per  
 consequens etiam tum licita, tum valida eorum  
 promissio (quemadmodum liciti sunt contractus  
 alij cum ipsis celebrati) præsertim quando ex  
 ejusmodi Matrimoniis sperantur magna bona,  
 v.g. conversio conjugis, publicum Religionis  
 exercitium antea negatum, inimicitiarum extin-  
 ctio &c. Prob. 2<sup>o</sup>. C. Non oportet 16. XXVIII.  
 q. 1. clarè dicitur; *filiæ hæreticas posse accipi,*  
*si spondeant se professuras orthodoxam fidem.*  
 Ergo non est simpliciter illicitum. Prob. 3<sup>o</sup>.  
 Hæc praxis toleratur in Germania, Gallia, Po-  
 lonia &c. Pontifice conscio, Episcopis non con-  
 tradicentibus. Ergo non est mala ab intrinseco,  
 adeoque ex causis gravibus licita.

116. Bene tamen Arsdekin monet ex Lessio,  
 ut similia matrimonia sint licita, concurrere de-  
 bere conditiones sequentes. I. Ut absit pericu-  
 lum perversionis, personaque Catholica liberè  
 permittatur vivere in sua Religione. II. Ne

impediatur educare proles ritu Catholico ; unde cum *Laymanno, Perez, Tannero, Dicastillo à Sporer*, & alij à Gobat citati valde execrantur iniquissimum illud pactum, quo Catholicus Coniunx consorti promittit, se ei permissurum partem liberorum sine cultura veræ Religionis ; nisi ( ut *Tannerus* insinuat ) post conjugium jam contractum, non sit Spes, ut parti Catholice permittatur educatio omnium prolium, quo casu saltèm de educatione aliquarum pacisci licebit, salvo tamen jure educandi Catholicè etiam reliquas, si id occultè præstari potuerit. III. Ut non sit facilè Catholico in sua Religione invenire conjugem sibi parem, & competentem. IV. Ut ille, cum quo matrimonium contrahitur, non sit Hæreticus denunciatus, aut Notorius percussor Clerici. V. Ut loco in quo contrahitur, passim vigeat consuetudo sic contrahendi, absque omni scandalo.

II7. Ob. 1<sup>o</sup>. *Juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit. c. fin. de Pactis.* Idem habetur *l. Pacta. Cod. eod. tit.* Atqui tale pactum sunt Sponsalia cum Hæreticis ; cum his enim prohibentur matrimonia. *c. Cave 15. XXVIII. q. 1. c. Decret. vit. 14. de Heret. in 6.* itèm in Concilio Chalcedonensi, Laodicensi, & Agathensi apud Sanchez, Palaum & Pontium. Ergo nullam obligationem inducunt, adeoque nec valida sunt. Conf. Si essent valida, posset pars Catholica ad eorum executionem compelli, atqui hoc dici non potest

potest, cum potius Authores illa connubia omnimodo dissuadeant. ergo.

118. R. C. Maj. D. Min. Tale pactum sunt Sponsalia regulariter, vel quando cum periculo perversionis, aut scandali, & sine justa ratione, & conditionibus supra insinuatibus contrahuntur C. tale pactum sunt semper, & omnia Sponsalia N. Min. & Conseq.

Ad Conf. R. 1<sup>o</sup>. N. Sequelam Maj. quia vix unquam aberit omne periculum, aut saltem timor alicujus mali, aut scandali in tali matrimonio; unde pars talia metuens justè resilire poterit. Resp. 2<sup>o</sup>. C. sequela N. Min. Nam ut Arsdekin, aliique notant ex Pontio, Lugone & Salas, aliquando, licet in casu rarissimo, ex tali connubio tot, & tantorum bonorum Spes affulget, ut non solum possit, verum etiam debeat pro illo in eundo dispensatio concedi, cur non posset ex eadem causa pars Catholica ad Sponsalium executionem compelli?

119. Ob. 2<sup>o</sup>. Apostolus 2. ad Cor. 6. v. 14. ait: *Nolite jugum ducere cum infidelibus,* & Can. 72. Synodi 6. Trull. Nuptiæ cum Hæretico declarantur absolutè invalidæ. & c. Videtur 2. XXXV. q. 6. dicitur ratum non haberi, quod contra interdictum Ecclesiæ (qualiter fiunt Sponsalia cum Hæreticis) factum est. Ergo nec talia connubia, nec Sponsalia valent. Resp. Apostoli verba tantum esse consilij, non præcepti, vel loquuntur de casu ordinario, si adsit periculum, vel scandalum. Ad Canones cit. R. cum P. Wiestner in primitiva Ecclesia ejusmodi connubia

nubia probabiliter fuisse invalida; sicut de facto ob cultûs disparitatem invalida sunt, cum Paganis, & Judæis. Jam autem certum est ea per consuetudinem inductam valere, licet aliqui Canonistæ oppositum fenserint, quorum opinionem Bellarminus citatus à Sporer *de Matr. p. 4. c. 1. n. 117.* putat esse errorem in fide. Etiam *Bellarminus* & *Barbosa* apud *P. Wiestner*, negant Canones illius Concilij esse Authenticos, utpote à Sergio Papa reprobatos; alij dicunt oppositâ consuetudine abrogatos. *c. videtur.* Loquitur de conjugio duorum, inter quos impedimentum cognationis intercesserat, ut notat Lugo.

120. Ob. 3<sup>o</sup>. Exponere se periculo perversi-  
onis est intrinsecè malum, atqui contrahens cum  
persona hæretica, se exponit, nè successu tempo-  
ris pervertatur, ut exempla probant. Ergo tale  
Matrimonium est intrinsecè malum; consequen-  
ter ejus promissio invalida. Hoc probaret, nec  
cum alio deterioris vitæ, etiam cum licentia Pon-  
tificis matrimonium unquam contrahi posse, cum  
tamen Sanctarum exempla extent. v. g. S. Mo-  
nicæ, Clotildis &c. Ethnicis desponsatarum.  
Informa R. cum *Lugone, Castro, Palao, & Ar-  
dekin* N. Maj. vel D. Exponere se periculo pro-  
ximo, & sinè urgenti causa, est intrinsecè malum  
trans. periculo remoto, ex causa urgente, & cum  
proposito firmo resistendi tentationibus exemplo  
Estheris, & Judithæ N. Maj. Ex quo patet re-  
sponso ad Min. Præterea possunt ejusmodi peri-  
cula per sufficientem cautionem tolli.

121. Ob. 4. Quia lectio librorum Hæreticorum plerumque periculosa est, ideo ea absque facultate nulli licet, prohibeturque etiam illis, qui de sua constantia in fide nullatenus dubitant. ergo multò minùs licebunt matrimonia cum hæreticis, cum illis plùs periculi sub esse videatur. Resp. C. Antec. N. Conseq. Disparitas est; tum quia non extant tam ponderosæ rationes pro lectione illa, sicut pro matrimoniis; tum quia usus illius lectionis non ità præscripsit, & permissus est; sicut matrimonia cum Hæreticis, Pontifice confcio, & non contradicente; tum quia nullibi ea lectio fidelibus conceditur, sicut *cap. Non oportet supra cit.* permittitur connubium cum Hæreticis, saltèm si spondeant se *professuros Orthodoxam fidem*, quâ Sponsione deficiente ( nisi contraria praxis alicubi præscripserit ) petenda est dispensatio à Pontifice, imò ut Lugo probat, semper eam petere debent Personæ valde illustres, utpote quorum matrimonia magnæ considerationis sunt.

122. Ob. 5. Sacrilegum est, Sacramentum indigno administrare, vel indignæ administrationi, aut receptioni cooperari, vel illud frustrationi exponere. Atqui Catholicus contrahens cum Hæretica, administrat Sacramentum Matrimonij Personæ indignæ, & cooperatur illius receptioni, & reciproçæ administrationi, itidem indignæ, & insuper illud periculo frustrationis exponit, casu quo pars Hæretica conformiter suæ perfidiæ, non intendat Sacramentum, sed purum contractum Civilem, vel etiam dissolubilem.



lem. ergo est hoc Sacrilegum, & illicitum, & per consequens invalida est promissio illius. Hoc argumentum contra multarum Regionum praxim probaret, nec cum Pontificis dispensatione matrimonium unquam cum Hæretico, vel cum homine peccatore iniri, imò nec dispensationem pro eo dari posse. *q. Maj.* Solùm veram esse, si absque gravi causa, & certò indigno, administratur Sacramentum aliquod, & quidem tale, in quo Minister non sit simul recipiens; aut qui pro tali Sacramento specialiter consecratus esse debeat: è contra ex gravi causa, Minister non specialiter consecratur & simul recipiens, nec obligatus ut se propter alterius malitiam, ipsi soli imputabilem, privet fructu Sacramenti; poterit administrare, aut per persecutionem proprii boni, indirectè cooperari, voluntariè indigno: Sic à pari secundùm Lugonem potest in gravi necessitate administratio Sacramenti peti ab Excommunicato; & juxta Canonistas ex *cap. Debitores 6. de Jur. rejur.* possunt usuræ solvi usurariis, & teste *P. Suarez lib. 4. de Simonia c. 12. n. 13. Lessio & alii.* Potest in gravi necessitate ad redimendam vexam Sacrilego, & Simoniam intendenti Ministro pretium temporale dari; si absque eo nollet administrare Baptismum, S. Viaticum, vel Poenitentiae Sacramentum,

## PARS II.

### §. I.

### De Sponsalium effectibus.

**P**rimus Sponsalium effectus est, obligatio ad matrimonium suo tempore contrahendum. De qua multa jam præmissa sunt; v. g. An & quomodo obligent, contracta, vel contracta ex errore? *n. 4. n. 32. 42.* in amentia? *n. 5. § 25.* & indeliberata *n. 6.* contracta in passione? *n. 8.* contracta per internuntium? *n. 12.* per Parentes *n. 15. & n. 102. 103.* vel sinè horum consensu? à *num. 104.* Cum Persona Hæretica à *num. 114.* cum impubere? vel ante Septennium? *n. 19. n. 79. & 91.* An ligent non mutua? *n. 56.* Pœnalia? à *n. 42.* Dubia? *n. 13.* Ficta? *n. 22.*

2. Quòd autem Sponsalia obligent graviter dicetur *Quest. I.* ità ut hæc circumstantia explicari debeat in confessione *Quest. II.* Quamvis fuissent ficta, si defloratio virginis accessit. *Quest. III.* An saltèm jurata, sic obligent, ut illicitum reddant ingressum Religionis *Quest. IV.*

3. Dubitant Authores, utrùm in eo loco, ubi Tridentinum receptum est, etiam valeant, & consequenter obligent Sponsalia Clandestina? itèm an contractus clandestinus Matrimonij inter puberes saltèm vim & obligationem Sponsalium inducat? prout eam (Juris interpretatione in

utroque foro teste Wagnerek ) inducit contractus sic celebratus inter impuberes, ut definitur, *c. Un. in 6. de Despons. Impub. & cap. fin. eod. tit.* quibus capitulis Tridentinum non derogavit, ut declaravit *Sacra Congregatio apud Jac. Pignatellum tom. 9. Consult. 133. num. 42. & Garciam. p. 11. de Benef. c. 8. n. 23. & Gonzal. in cap. fin. cit. n. 4.* Utrumque dubium resolvit *Quæst. VI. & VII.* pro quarum meliore intelligentia

4. Notandum est, matrimonium propriè clandestinum (idem est de Sponsalibus) vocari illud, quod fit sinè præsentia propriij Parochi vel Sacerdotis ab eo Substituti, & duorum vel trium testium. Impropriè, vel secundùm quid, clandestinum, vocatur; si omittantur consuetæ denuntiationes; & magis adhuc impropriè etiam illud, quod celebratur sine benedictione in facie Ecclesiæ, sinè convivis, & saltibus &c. ut declarant *Gonzalez, Canisius, König, & alij super tit. de Clandest. Desponsat.* Plures acceptiones recenset *Sanch. lib. 8. Disp. 1.*

5. Matrimonia propriè clandestina, semper erant illicita, & prohibita. *Trid. Sess. 24. de Reform. matr. c. 1. c. Aliter 1. c. Nullus 2. c. Nostrates. 3. c. Nullum. 6. XXX. q. 5.* Unde Sponsalia per subsequutam copulam transibant mox in Matrimonium *c. 15. & 30. de Sponsal.* Fuerunt tamen ante Tridentinum valida. *Trid. l. c.* Jam jure novo ejusdem Tridentini citati in locis, in quibus Tridentinum receptum, seu quo ad hoc punctum ritè promulgatum

tum

tum est ; nec valida amplius sunt , ità ut teste *Pignatello tom. 9. Consult. 133. n. 51. & Valense ex Navarro* , non expectatâ Sententiâ Judicis etiam post copulam carnalem ab invicem separare se possint. An verò sic separati, ex vi Sponsalium præcedentium adhuc obligentur ad contractum legitimum Matrimonij de novo celebrandum ? Authores non decidunt ; videtur quòd ità : Quia obligationi Sponsalium, quibus se obstrinxerunt ad verè contrahendum ; nec dum satis fecerunt. Plura de hac clandestinitate tradunt Authores, scribentes *super tit. 3. Decr. lib. 4. de Clandest. Desponsat. & tractantes materiam de impedimento clandestinitatis, de quo Sanchez toto lib. 3.*

6. Si Sponsalium executioni dies præfixa non sit, non tenetur Sponsus ; aut Sponsa properare in Matrimonio contrahendo, comparte tacente, & non urgente executionem : hoc enim generale est in omni debito, absque diei præfixione, quòd non teneatur debitor statim solvere non requisitus. *arg. l. Debitores 10. C. de Pignor. & Hypoth. Sanch. l. 1. D. 28. n. 2.* pluresque apud eundem : quos sequitur *Gonzalez super c. 2. de Sponsal.* unde non urget argumentum Pontij, dicentis : promittentem semper obligari ad implendam promissionem, quando impletio est semper utilis : nam etiam solutio pecuniæ semper utilis est, nec tamen ad eam datur talis obligatio : quia nimirum creditor tacens, videtur spontè consentire in moram : nisi, ut in foeminis fit, pars tacens ex verecundia, vel ex oblivione, vel

ex

ex alia ratione non auderer, vel non posset executionem urgere, quo casu (sicut in voto cujus executionem DEUS semper petit) nec ratio est, cur non sit mox executioni dandum, urget obligatio statim contrahendi matrimonium, dum quis commodè potest. Idem dicendum si pars executionem urgeat juxta Regulam 14. *f. ff. In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur presenti diei debetur.* *§ l. Eum. 41. ff. de V. O. Quotiens in obligationibus dies non ponitur, presenti diei pecunia debetur.* Cœterùm per accidens etiam Sponsi ad maturandam executionem obligari possunt, si in periculo versentur, ne interim secum, aut cum aliis incontinenter vivant, nisi contrahant; ob quam causam Gobat num. 358. & Pirrhing, imò S. Congregatio apud Pignatell. Tom. 9. consult. 133. n. 73. *§ apud Gallemart in notis Trid. Sess. 24. c. 1. de Reform. Matrim.* Parochos monet (idem dici potest de confessariis) ut sponfos urgeant ad matrimonium maturandum. Quenam obligatio Sponfos maneat, si executionem negligent, dum illi dies præfixa est, dicitur parte III. *Quest. VIII.*

7. Si quis ab obligatione hætenus explicata, ad ineundum matrimonium adstringente injustè resiliat, præter contractam peccati mortalis noxam; ob quam juxta l. partis n. 45. plecti potest, insuper comparti expensas, & damna emergentia resarcire tenetur; nempe ex radice injustæ damnificationis, & quia in contractibus pars comparti indemnitàtem præstare debet *arg. l. Si pecu-*

*pecuniam in princ. ff. de Condict. causa data.*  
 Ad eandem expensarum refusionem Sanchez da-  
 mnat Sponsam, aut Sponsum, si dolosè Sponsalia  
 contraxit, vel comparti culpabilem causam justè  
 resiliendi dedit, ut si Sponsa fornicata est. *Sanch.*  
*lib. 5. Disp. 5. n. 34.* è contra verò sic resiliens  
 Sponsus, non tenetur Sponsæ fornicariæ expen-  
 sas refundere: Nam *damnum quod quis suâ*  
*culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare.*  
*Reg. 86. F. in 6. & Reg. F. 203. ff.* Imò nec  
 ad refarciendas expensas à Sponsa factas obligatur  
 justè resiliens Sponsus, si Sponsa ei causam resili-  
 endi inculpabilem dedit, ut si valde deformis,  
 pauper &c. facta est: ut docet *Gobat de Sponsal.*  
*n. 380.* Nullam enim injuriam facit Sponsæ:  
*Quia nullus videtur dolo facere, qui suo jure*  
*utitur Reg. F. 55. ff.* Ex eadem regula, aliis-  
 que rationibus probabiliùs existimat *Sanchez*  
*l. 5. D. 5. num. 33.* Sponsum justè resilientem,  
 v.g. per ingressum Religionis Sponsæ non obli-  
 gari ad refundendas expensas (si ex iis non est fa-  
 ctus ditior) licèt illa nullam resiliendi causam de-  
 derit; *Laymannus* tamen *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 2.*  
*n. 8.* citans *Molinam*, tenet cum *Guttierez*  
 contrarium ex eo, quòd in contractibus debeat  
 compars indemnis servari *l. 5. ff. de Condict.*  
*causâ datâ;* & privilegia (quale habent Sponsi  
 ad ingressum Religionis) tertio præjudiciosa, sint  
 strictæ interpretationis: utraque sententia proba-  
 bilis est, utraque tuta in conscientia; *Laymanni*  
 in praxi suaderi potest tanquam magis pia, ad  
 eam tamen Sponsus Religionem ingrediens cogi  
 non

non potest. Docet præterea Gobat de Sponsal. n. 333. & seq. Si Sponsus prævideat Parentes Sponsæ non consensuros, & nihilominus occultè contrahat; eum à Sponsa postmodum resiliente non posse petere compensationem neglecti interim alterius connubij; cùm se ultro in necessitatem conjecerit.

8. Hactenus dicta ferè concernunt obligationem Sponsalium *absolutorum*, quia autem etiam dantur *conditionata* (de quibus Sanchez. tractat *toto libro 5. per 19 Disputationes*) ideo & horum natura, & obligatio declaranda est. Porrò contractus conditionatus propriè dicitur, quando aliquid ei adjicitur suspendens ejus obligationem in futurum tempus, & in eventum incertum. §. *Sub conditione 4. Inst. de V. O.* unde conditionis est (ait Sanchez. l. 5. D. 1. n. 2.) *facere, ut actus possit se habere ad esse, & ad non esse.* Si tamen conditio sit de præterito, vel de præsentis (quæ teste Pirrhing de *Condit. appof. n. 1.* & Vallense *ib. n. 3.* non est conditio propriè dicta) non differet obligationem §. *Conditiones 6. Inst. de V. O.* Sed si conditio falsa est, erit actus irritus, si vera, mox obligabit. l. *Cum ad præsens 37. & duabus seqq. ff. si certum petetur. l. Conditio in 100. ff. de V. O.* Similiter mox obligat, si conditio de jure insit: ut *contraham tecum matrimonium, si non fuero ingressus Religionem l. 99. & 107. ff. de Condit. & Demonstr.* vel (licèt hoc Glossa neget in *cap. 3. de Condit. appof.*) si conditio sit quidem de futuro, sed necessario, ut *contraho tecum, si*

*sol cras oriatur* : Nam qui sub conditione stipulatur, quæ omnino extitura est, purè videtur stipulari. *l. si pupillus 9. §. 1. ff. de Novat. l. quod si ea 18. ff. de Condiēt. indeb.* quia ut inquit *Ilfung Tr. 6. D. 9. n. 54.* talis conditio non ad suspendendum consensum, sed ad certitudinem, & firmitatem demonstrandam aestimatur apposita: vel (ut ait *Pirrhing n. 11. de Condit. appos.*) quia quod omnino extiturum est, non potest non contingere, ideoq; præsens esse videtur; & quia talis conditio necessaria futura jam determinata est in sua causa naturali, censetur præsens, & impleta, & perinde est, ac si apposita non esset, ex quibus sequitur consensus prædicto modo conditionatos, esse æquivalenter absolutos; nisi ut Sanchez notat *l. 5. D. 2. n. 3. & 4.* conditio crederetur esse contingens, vel esset incerta respectu contrahentium, quo casu ejus impletio expectanda foret; vel nisi talis adjectio non conditionem, sed temporis præfinitionem designaret: ut *contraho tecum, si Pater meus morietur. arg. l. Hæres 79. §. 1. ff. de Condit. & Demonstr.*

9. Cœteræ conditiones possibiles, honestæ, contingentes de futuro, suspendunt obligationem actus; donec conditio purificetur. Unde ejus eventus expectandus est *l. si ita stipulatus 97. §. si tibi de V. O. c. Super eo. 5. de Condit. app.* Nisi conditio à CompArte remitteretur, §. ex conditionali 4. *Instit. de V. O.* prout fieret, si Sponsalia celebrans sub conditione, postmodum



modum de presenti contraheret, vel consentiret in copulam carnalem *cap. De illis 3. t. eod. Wagnerek in d. c. & cum Sanchez plures Aucthores; & Curia apud Gobat n. 276.* Est enim praesumptio Juris; & de jure, inquit idem ex Menochio, quod mulier usuram sui corporis non concederet, nisi sub spe absoluta, & determinata Matrimonij. Conditione impleta sine novo contractu, transit contractus in absolutum, & mox obligat. *l. Potior II. §. I. ff. Qui pot. in pign. l. Hec venditio 7. in pr. ff. de contrah. empt. & in Sponsalibus ante conditionem impletam non licent Sponsis amplexus, & oscula. Sanch. l. 5. D. II. à n. 38.* Conditione non secuta, desinunt contractus, & Sponsalia conditionata, nisi pars malitiosè impediret ejus impletionem, quo casu ab obligatione non foret immunis. *l. Qui non facit 121. ff. de R. J. Innocenti tamen licitum esset resilire. c. Frustrà 75. de R. J. in 6.*

10. Utrum contractui Matrimonij conditio de futuro apponi possit, non immeritò aliqui dubitant; imò negant cum S. Thoma, Bonaventura, Tannero, quos citat, & sequitur Wagnerek *in cap. super eo 5. De Condit. appol.* Sed non est quaestio hujus loci. Sponsalibus saepe adjiciuntur, & non rarò hæc: *Dicto capitulo insinuata, contrahotecum, vel ducam te, si Parens consenserit:* quo casu Sponsalia obligant, si Pater consentiat, quamvis prius dissenserit, vel datum consentium revocaverit, ut cum pluribus tenet Gobat; juxta quem illa conditio-

nalis,

nalis, idem significat, ac: *Si Parens non contradixerit*, adeoque positivus consensus tali casu non est necessarius, & valent Sponsalia, licet Parens, ante consensum ab eo petitum, obiisset. *Sanch. l. 5. D. 7. n. 12. 16. 19. & c.* Conditio illa: *Nubam Tibi, si DEO placuerit, vel si DEUS dederit* (de qua *Sanch. l. 5. D. 1. n. 8.*) teste *Gobat n. 169.* idem significat, quod: *Nubam tibi, si saluti mea expediens judicavero*, & nec obligat in foro externo, nec interno. Quid de Sponsalibus sentiendum sit inter impeditos sub illa conditione contractis: Si Pontifex dispensaverit. dicetur Q. 5.

11. Quid si aliquis Sponsalia de futuro contraxisset sub conditione cum duabus, quænam erunt valida? Putat *Sanshez. l. 5. D. 8. n. 18.* ea valitura, quorum conditio prius impletur, verum probabilior est Sententia *Laymanni l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 6. Coningij D. 29. de Matrim. dub. 1. n. 20. Pirrhingij Condit. appof. n. 28.* docentium, priora fore valida, ita ut quandocunque eorum conditio impleta fuerit, ipsis standum sit, licet posteriorum conditio fuisset prius impleta: ratio est; quia Sponsalia secunda nunquam licite, aut invalide contrahi poterant, nisi priora prius fuissent dissoluta; nam quod *semel placuit amplius displicere non potest. Reg. 21. J. in 6.* Et prior contrahens non resolvit se in contractu ad hoc, quod velit alteri cedere posterius contracturo.

12. Major controversia est, an conditio turpis, vel impossibilis in Sponsalibus habeatur pro

G

non

non adjecta, & non irritante, sicut pro tali habetur in Matrimonio; dummodo non repugnet ipsi substantiæ matrimonij *c. fin. de Condit. appof.* itèm in testamentis, legatis, & fidei commissis, §. 10. *Instit. de Hæred. instit. l. 3. ff. de Condit.* Affirmativam tenet *Sanchez l. 5. D. 17.* Motus autoritate, licèt fateatur argumenta non esse efficacia; negativa videtur verior, nec illi deest Autoritas, eam enim tenet *Castro Palaus de Sponsal. D. 1. p. 16. n. 4. Gobat,* cui quo ad praxim in hac materia Patritius Sporer primas defert; apud *Gobat Rebellus, & Pontius, Zoës. de Condit. oppos. n. 22. Engel. n. 15. eod. tit. aliq.*

Prob. 1<sup>o</sup>. Præter matrimonium, & testamenta claro jure excepta, alij omnes contractus (ut docet *Lessius ex Gomesio*) irritantur per conditionem turpem de futuro, vel impossibilem; neque obligant §. *si impossibilis* 11. *Instit. de inutil. stipulat.* quia nemo obligari potest ad quid impossibile, vel turpe, imò impossibilem conditionem opponens, censetur non seriò agere; ità ut magna difficultas sit, quomodo in matrimonio rationabiliter sustineri possit, ut videre est apud *Sanct. l. 5. D. 3.* adeoque tales contractus nullius momenti sunt. *l. non solum* 31. *ff. de Oblig. & Act. l. Impossibiles* 7. *ff. de V. O.* ergo similiter per tales condiciones irritantur Sponsalia, utpote nullibi in jure excepta. Unde *Canisius super cap. fin. de Condit. Appof.* bene docet universaliter omnes contractus cum conditione turpi, aut impossibili, esse irritos, exceptis

exceptis testamentis, & contractu Matrimonij, in quibus (quo ad forum tamen tantum externum, & in dubio) præsumitur testantem, aut matrimonium contrahentem in re tam gravi non voluisse actum irritum facere, adeoque tales conditiones non ferio adjecisse.

2<sup>o</sup>. Unicum fundamentum adversæ partis desumitur à paritate Matrimonij, hoc autem nihil probat: quia lex favens Matrimonio, & correctiva communis consuetudinis, & restrictiva juris naturalis, non est ultra proprietatem verborum extendenda ad materiam diversam; præsertim ut hic fieret, si libertatem limitet, quæ cuique relinquenda est in dubio. Atqui juxta argumentum prius, communis consuetudo est, ut actus cum conditione turpi, vel impossibili, non valeant; ergo lex illius restrictiva non est ad Sponsalia extendenda; cum aliunde in plurimis casibus non valeat paritas à Matrimonio ad Sponsalia, ut fusè ostendit Gobat cum quo P. Wex sententiam nostram probat ex praxi totius Germaniæ. Prob. 3<sup>o</sup>. Omnis verus, & obligans contractus debet posse transire in absolutum; atqui contractus cum conditione impossibili, aut turpi, non potest sic physicè, aut moraliter transire. ergo.

13. Conditionibus multum affines sunt; *Causa, Modus, & Demonstratio*, quæ subinde ab imperitis cum Conditionibus confunduntur: Est autem *Causa* illud adjectum, ob quod quis contrahit, & explicatur per particulam *quia*, cum conditio explicari soleat per particulam: *Si*. ut *Contraho tecum quia dives es. Modus est*

adjectio oneris, ad quod volumus obligare contrahentem; explicatur per particulam *ut*, v. g. *Contraho tecum, ut opes acquiram.* *Demonstratio* est appositio signi, exprimens qualitatem demonstrativam rei, vel personæ, explicaturque per *particulas relativas*; ut *contraho tecum, quæ dives es.* Tandem etiam sæpe tempus, aut dies apponi solet; ut *contraham tecum cras.* Hic specialiter notandum, quòd nec *Demonstratio*, nec causa falsa contractum irritet; dummodo non intercedat error circa substantiam; aut personam; neque modus ante sui impletionem suspendit actum; sicut *conditio.* *l. Libertas 15. §. hâc scripturâ ff. de manum. testam.* dummodo de implendo cautio præstetur *l. si Tibi legatum 19. ff. de leg. 3. l. Quibus diebus 40. ff. de Condit. & Demonstr.* Plura de his vide in *Sanchez l. 5. D. 19. Pirrhing, Zoëfio, Engel, König &c.*

14. Præter obligationem hæctenus declaratam alter celebris effectus Sponsalium est, justitiæ publicæ honestatis; Solo jure Ecclesiastico introducta *c. 11. 12. 14. & 15. XXVII. q. 2. c. Juvenis 3. c. Ad audientiam 4. c. Sponsam 8. de Sponsal. c. Literas 4. de Desponsat. Impub. c. Un. de Sponsal. in 6.* Unde inter solos Christianos locum habet; nec impediuntur hoc impedimento præviè contracto conversi ad fidem. Definitur autem esse *propinquitas ex Sponsalibus* proveniens robur trahens ex Ecclesiæ institutione propter ejus honestatem *S. Th. 3. p. Suppl. q. 55. a. 4.* Sive ut cum Sporer, P. Wiest

Wiestner &c. alij: *Est quedam quasi affinitas ex inchoatione Matrimonij, per conjunctionem, non quidem corporum, sed animorum inter Sponsos orta; & conjugio cum ipsorum consanguineis contrahendo obstans*: ita ut Sponsus cum nulla consanguinea suæ Sponsæ intra gradum prohibitum validè contrahere possit Matrimonium; nec Sponsa cum consanguineis Sponsi. Nam, inquit *Ilung tr. 6. D. 9. n. 103.* justum & æquum est, ac decens; ut cum personæ per Sponsalia, vel matrimonium ratum copulatæ consanguineis, tanquam aliquali propinquitatis vinculo junctis, in gradu ab Ecclesia determinato, matrimonium non contrahatur, in Nuptiis autem non tantum id, quod licet ex natura rei, *sed etiam quod honestum est spectari decet*, ut notat *Wagnerek super cap. 3. de Sponsal. ex l. Semper 42. ff. de ritu Nupt.*

15. Impedimentum seu justitia publicæ honestatis, etiam ex Sponsalibus *de futuro* quamvis aliunde invalidis, liberè tamen mutuo consensu contractis ortum, olim dirimebat saltè usque ad quartum gradum inclusivè, ut doctores colligunt ex juribus supra citatis juncto *cap. Non debet 8. de Affinit. & Consanguin.* & ex ipso *Trid. Sess. 24. de Reform. matr. c. 3.* hoc impedimentum ad primum gradum restringente; vi cujus jam, non amplius oritur ex Sponsalibus *de futuro ex quacunque ratione invalidis*; neque excedit primum gradum, ita ut v. g. Sponsus contrahere possit cum omnibus consanguineis Sponsæ suæ, exceptâ solâ Matre, filia, aut

Sorore Sponsæ. Præter dicta insuper requiritur, ut Sponsalia sint certa, hoc est determinata ad certam personam, pura, seu absoluta à conditione, vel per conditionem impletam præsentem, vel præteritam purificata. *c. Un. de Sponsal. in 6.* licèt essent inter impuberes juxta dicta parte 1. num. 21.

16. Præfatum impedimentum etiam oritur (& quidem à potiori, ità ut pro Dispensatione impetranda majores causæ requirantur, & origo impedimenti in supplicatione exprimenda sit teste König super tit. De Sponsa duor. n. 12. ex praxi Curia, & Vincentio de justis) ex Sponsalibus *de presenti*, seu ex matrimonio rato, etiam invalido, dummodo non sit invalidum ex defectu consensûs (ut si quis per errorem contraxisset cum Berta, putans esse Barbaram, vel ut König ponit, si contraxisset ex metu cadente in constantem virum) licèt ex alio impedimento, v. g. affinitatis, cognationis &c. esset irritum. Dirimit autem sicut olim usque ad quartum gradum inclusivè; nam Concilij limitatio, & restrictio sola Sponsalia concernit, prout expressè motu proprio *ad Romanum 5. Kalend. Jun. An. 1568.* declaravit Pius V. dicens: *in Matrimonio rato durare adhuc impedimentum, in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de jure veteri, ante prædictum decretum Concilij introductum erat.* Idem decrevit *S. Congregatio 17. April. 1586. apud Gallemart.*

17. Nihilominus adhuc multùm dubitatur  
1<sup>o</sup>. An memoratum impedimentum oriatur ex  
matri-

matrimonio ob Clandestinitatem invalido? 2<sup>o</sup>.  
 An ex publicè quidem celebrato, & apparenter  
 vero, irrito tamen ob defectum *occultum* con-  
 sensus, qui probari non possit? 3<sup>o</sup>. Ex Sponsa-  
 libus de futuro publicè notis, sed ex defectu oc-  
 culto v. g. dissensus, cognationis &c. irritis?  
 4<sup>o</sup>. An per mutuum consensum aut quamcunque  
 dissolutionem ità annullari Sponsalia possint, ut  
 impedimentum, publicæ honestatis esset? Ad hæc  
 dubia respondebitur q. 8. 9. 10.

18. Dubium adhuc restat, an sicut, si quis  
 carnaliter cognosceret suæ Sponsæ Sororem, neu-  
 tram ducere posset; non Sponsam propter affini-  
 tatem ex copula ortam, dirimentem Sponsalia  
 præcedentia; *c. Ex literis 8. De eo qui cogno-  
 vit &c.* non etiam Sororem cognitam, propter  
 impedimentum publicæ honestatis: An inquam  
 similiter propter duplex impedimentum publicæ  
 honestatis, neutram ex duabus Sororibus ducere  
 posset, si cum una habuisset Sponsalia, postea au-  
 tem cum altera iniret matrimonium, irritum  
 quidem propter præcedentia Sponsalia cum Soro-  
 re, & ortam ex illis publicam honestatem, im-  
 pedimenti tamen inductivam juxta num. 16.  
 R. Eam retinendam esse, cum qua prius est con-  
 tractus initus, nam licet alia impedimenta vim  
 habeant annullandi, aut impediendi etiam præ-  
 cedentia Sponsalia, publica honestas tamen non  
 agit retrorsum, sed illa est tantum *efficax ad im-  
 pediendum, vel dirimendum sequentia  
 Sponsalia, vel matrimonia, non autem ad  
 præcedentia dissolvendum*, ut expressè definit



Bonif. VIII. *c. Un. de Sponsal. in 6.* Unde prædictum matrimonium putaticium impediret quidem Sponsalia contrahenda cum aliis consanguineis suæ putatiæ uxoris, non irritat autem jam antecedenter contracta cum ejus Sorore.

## §. II.

### Quæstiones magis disputabiles circa Effectus Sponsalium.

#### QUÆSTIO I.

*An Sponsalia per se obligent sub peccato mortali?*

#### Ex num. 2.

19. **R**esp. Affirmativè cum Sanchez *l. 1. D. 27. citante S. Thomam, Theologos complures, & Canonistas contra paucos. Laymannus l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 3.* vocat Sententiam communem, imò omnium teste *Tannero apud Gobat.* quam tenent plerique, ut *Guttierrez, Palaus, Pirrhing, Isung, Gonzalez, Zoësius, Covarruv., Wamesius, Wagnerek, König, Mastrius &c.* Assertionis veritas colligitur ex *c. Desponsatam 27. c. Atho 47. c. Conjugali 50. XXVII. q. 2.* Quibus locis decernuntur subinde graves pœnæ, in injustè resiliens pro solis peccatis gravibus irrogandæ. 2<sup>o</sup>. Omnis contractus onerosus in materia gravi, graviter, & ex justitia obligat, atqui Spon-

Sponsalia sunt talis contractus. Ergo. 3<sup>o</sup>. Etiam simplex pactum, aut promissio seria, acceptata, licet gratuita, in materia notabiliter gravi obligat graviter. Nisi quis expressè intenderet se tantum leviter obligare. Ergo multò magis obligat contractus onerosus, qualis est Sponsalitiuus. Antecedens, licet cum aliquibus neget Cajetanus, est tamen communis doctrina Canonistarum teste *Lessio l. 2. c. 18. de F. & F. dub. 8. n. 55.* ubi illud fusè probat, sicut & *Sanchez l. 1. D. 5. n. 20. Ilfing tr. 4. D. 2. à n. 371. & alij.* Simplex promissio enim inducit obligationem majorem, quàm solius veracitatis; quia est justitiæ saltèminùs strictæ, dantis aliquod jus ad rem; Unde violatoribus etiam simplicis pacti, excommunicatio infligi potest, *c. 1. de pactis*, quæ aliàs non nisi pro mortali debet imponi crimine. *c. Nemo 41. XI. q. 3.* ergo.

20. Ob. 1<sup>o</sup>. *Alij desponsata renuntiare conditioni, & nubere alij non prohibentur l. 1. c. de Sponsal.* Ergo. R. cum *Sanchez, Tanner, Pirrhing* & plerisque aliis contra Cynum jus Civile (quod teste *Caniso in praf. super tit. De Sponsal. n. 3.* in dispositionibus circa matrimonium nempe quoad substantiam ejus, nullius momenti est apud Christianos) in hoc puncto correctum esse per jus Canonicum: Imò & antiquo Romanorum jure ex Sponsalibus obligationem Civilem, & actionem, quæ ex *Sponsu* dicebatur, contra eum, per quem factum esset, quo minùs nuptiæ sequerentur, in id quod alterius intererat, datam fuisse, solumque per

abufum, perditis Romanæ Civitatis moribus repudiorum libertatem irrepsiffe, testatur *Hotthomanus de Castis & Incestis nuptiis apud König super tit. de Sponsal. n. § 1.* R. 2<sup>o</sup>. Explicando legem; non prohibentur jure civili, ita ut poenam ejus incurrant C. jure naturali & Canonico N. & quidem eò gravius, si Sponsalia sint juramento firmata. R. 3<sup>o</sup>. Non prohibentur com- parte spontè consentiente C. eâ invitâ N.

21. Ob. 2<sup>o</sup>. Frangens promissionis fidem, non violat justitiam, sed solam veracitatem, aut fidelitatem. Ergo peccat tantum venialiter sicuti mentiens. R. 1<sup>o</sup>. D. Antec. Si sit promissio simplex, gratuita, vel nudi pacti Trans. Antec.; si sit promissio acceptata, mutua, onerosa, in materia gravi, qualis est Sponsalium N. Antec. & Conseq. Nam ut ait *Lessius l. c. Promissio onerosa, acceptata obligat lege justitiæ, ut omnes fatentur. Dixi transeat*: nam etiam promissio simplex acceptata addit supra veracitatem specialem obligationem, & juris translationem in alterum, ita ut promissario injuria fiat, per promissionis violationem; læditur enim ejus jus inchoatum, seu jus ad rem, adeoque promittens aliquomodo saltè contrahit debitum justitiæ, ut eleganter ostendunt *Lessius, Sanchez & Ilfing citati.*

22. Ob. 3<sup>o</sup>. Non servare fidem est tantum decipere, & agere contra *honestatem*, ut videtur sentire *Angelicus 2. 2. q. 88. a. 3.* Ergo etiam est tantum veniale peccatum. R. non servare fidem puræ assertionis est tantum decipere.

Et

Et agere contra honestatem C. fidem seriae, & acceptatae promissionis, praesertim mutuae, & onerosae N. Antec. & Conseq., si materia sit gravis. Praeterea aliqui apud S. Doctorem per honestatem intelligunt debitum naturale, in conscientia, quod solum incurritur per nudum pactum, aut promissionem, non autem debitum Civile, cum nudum pactum non tribuat actionem saltem in foro Civili, l. 7. ff. de Pact.

23. Ob. 4<sup>o</sup>. Promissio est tantum vel ut lex privata c. 1. De Donat. qua promittens se obligat pro libitu, sub gravi; vel sub levi peccato, sub poena, vel sub culpa, ex justitia, vel tantum sub morali honestate, aut fidelitate. Ergo obligatio Sponsalium non est semper gravis. Resp. Lessius adductum in Antecedente esse probabile, sed non satis per illud explicari vim promissionis, quantum ipsa per se praecisa intentione extrinseca obliget. R. ad mentem Sanchezij *Disp. cit. n. 27. & D. 9. n. 6.* permissio Antecedente D. Conseq. ergo non semper est gravis, si nimirum per accidens promittentes signate intendunt tantum levem obligationem, Trans. Si scientes naturam promissionis in materia gravi graviter obligantis, sine restrictione simpliciter promittant N. Conseq. Nam tunc censentur se velle obligare ex justitia: hoc enim est proprie promittere teste *Laym. l. 3. tr. 4. c. 12. n. 1.* praeterea paritas est in voto, quod simpliciter prolatum in materia gravi obligat graviter. R. 2<sup>o</sup>. Cum Martino, & aliis apud hunc D. Antec. Aliqua promissio est talis C. vera seria, & mutua promissio

Spon-

Sponsalium N. Antec. Nam hæc habet annexum impedimentum publicæ honestatis, non mutabile per contrahentes, quod est quid grave, & præjudiciosum consanguineis Sponsi, qui non possunt cum ejus Sponsa contrahere, licet ille moreretur, aut Sponsalia dissolveret. Præterea Sponsalia dant jus ad honestos amplexus, & oscula, qui effectus sine gravi obligatione non conceduntur; insuper nisi homines graviter vi Sponsalium obligarentur, facile resilirent, quod plerumque fieret cum gravibus scandalis, incommodis, periculo infamiæ &c. Unde Mastrius dicit tales resilire volentes serio à Confessariis in foro conscientiæ ad fidem servandam compellendos esse, aliter nec absolvendos, utpote perseverantes in peccato mortali.

## QUÆSTIO II.

*An Fornicatio Sponsi, vel Sponsæ cum alio, vel alia, sit peccatum non tantum intemperantiæ, sed etiam Injustitiæ in confessione explicandum?*

### Ex num. 2.

24. **N**egativam apud Palaum tenent Covarruv., Vivaldus, Pontius, Henriquez. his accedit Mastrius secutus Meracium, Caspensem, Brancatum; item König super tit. de Adulter. & Stupro; & apud hunc Schambo-gen; sed prævalet affirmativa Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 6. Palai D. 1. re Spons. p. 7. n. 5. Bona-

*Bonacinna de Sponsal. q. 1. p. 10. n. 13. Pirring super tit. de Adulter. n. 3. ibid. Zoësi n. 2. apud hos eandem tenet Melina, Coninck, Fillius, Diana, Hurtadus, Tancredus, Ludov. Lopez. Sarmiento & alij. demum Sanchez l. 1. D. 2. n. 6. Sed cum limitatione; nempe explicandam esse prædictam circumstantiam, si ea se teneat ex parte fæminæ. Prob. Conclusio. 1<sup>o</sup>. Specialis fit Sponso injuria, & quidem atrox ut ait *Canis. in tit. de Sponsal. n. 11.* si defloretur ejus Sponsa, ita ut ipsi etiam jure civili actio injuriarum concedatur. *l. Itèm apud §. §. Sponsum. quog. 24. C. de Injuria: in super l. Si uxor. 13. in p. ff. ad L. Ful. de Adult.* permittitur, ut tale scelus instar adulterij puniatur. Ergo præter intemperantiam etiam committitur quædam species injustitiæ explicanda in confessione, non modò à deflorata, sed etiam à defloratore. 2<sup>o</sup>. Sponsi sibi fidem dant de corpore nulli in usum tradendo, non tantùm per matrimonium, sed neque per fornicationem, quæ traditio fædior est, & semper illicita. Ergo si alteri sic tradatur fit innocenti injuria specialis, & gravis, dans jus etiam à Sponsalibus resiliendi; adeoque explicanda est in confessione. 3<sup>o</sup>. Per talem fornicationem ponitur voluntariè à delinquentibus causa, vel periculum gravis damni à Sponso incurrendi; nempe gravis infamiæ, aut alendæ prolis non suæ, licet hæc subinde per accidens præpediantur. Atqui voluntariè ponere talem causam, vel periculum, est jam in voluntate grave peccatum injustitiæ, explicandum in confessione. Ergo.*

25. Ob.

25. Ob. 1<sup>o</sup>. Quamvis argumenta allegata probent fornicationem Sponsæ involvere injustitiã in confessione explicandam, eam tamen non involvit fornicatio Sponsi, utpote quæ in æstimatione hominum parvi penditur. Ergo saltèm illa non est necessariò explicanda in confessione, ut docent multi cum Sanchez. R. Quamvis horum opinio probabilis sit; nihilominus negandum videtur Antec. cum Palao. 1<sup>o</sup>. Quia æstimatio hominum hoc in puncto curanda non est; nam multa peccata gravia, v. g. obscænas loquelas, tactus, oscula &c. multi instar joci habent, quæ tamen sunt peccata lethifera in confessione explicanda. 2<sup>o</sup>. Etiam in tali casu Sponsus fidem violat in materia tam gravi, ut Sponsa acquirat jus repudiandi Sponsum, juxta omnes, ut ipse Sanchez *l. 1. D. 55. n. 4.* testetur, se non reperisse de hoc dubitantem. 3<sup>o</sup>. Talis Sponsus obligabitur ad alendam prolem ex fornicatione sua conceptam, quod rursus cedit in præjudicium Sponsæ. 4<sup>o</sup>. Gravis etiam injuria est, quòd Sponsæ in amore præferatur aliena, cum periculo nè postmodum etiam fides tori violetur. Ergo est hæc fornicatio graviter injuriosa, licèt gravior adhuc sit fornicatio Sponsæ; sicut adulterium mariti graviter injuriosum est, ultra simplicem fornicationem, licèt gravius sit adulterium uxoris, vel adulterium liberi cum conjugata, quàm conjugati cum libera, ità ut illud secundùm hanc circumstantiam explicandum sit in Confessione teste Lessio *l. 4. c. 3. dub. 10. num.*

26. Ob. 2<sup>o</sup>. Si Sponsus, aut Sponsa fornicando, comparti specialem injuriam faceret, teneretur monere compartem innocentem de vitio; sicut venditor teneretur monere emptorem, ut suadet æquitas & l. 1. §. 1. de *adilizio edictio* & c. l. *Julianus* 13. de *Actiōibus empti* & c. atqui non teneretur, ergo nec facit injuriam specialem, adeoque nec confiteri teneretur. R. 1<sup>o</sup>. Indirectè, etiam quælibet adultera facit injuriam marito, & reliquis prolibus, in confessione explicandam, neque tamen marito, aut prolibus se manifestare teneretur, ergo quòd quis obligetur, ut se prodatur in confessione, non sequitur dari obligationem se manifestandi extra illam, propter grandes difficultates, infamiam, aut pericula, quæ sui ipsius accusator incurrere posset, ob quæ à sui accusatione externa excusatur; Sanch. *lib. 1. Diss. 68.* unde ut cum communiore ex S. Thoma docet Lessius *l. 2. c. 31. D. 3. n. 8.* reus nec Judici, non juridicè, vel non servato judicij ordine interroganti, teneretur fateri veritatem. Similia mala non imminenti accusanti se in confessione. R. 2<sup>o</sup>. D. Sequel. Maj. teneretur monere compartem, si gravia damna ex ea fornicatione comparti immineant C. Maj. si non immineant N. Maj. & similiter distincta minore N. simpliciter consequentiam: nam ad Confessionem simpliciter obstringetur, licet damna evitentur juxta probationem 3<sup>am</sup>. Conclusionis, sicut teneretur se accusare, qui voluntariè posuit causam, aut periculum homicidij, effectu etiam non secuto.

27. Ob.



27. Occasione hujus responsionis, notandum, valde probabilem esse opinionem Parris Gobat, in sua *experimentalī Theologia de Sponsal. n. 367. cum Palao D. I. p. 30. n. 5. Pontio, Coninck, Turriano* docentis, Sponsum, aut Sponsam (nisi grandia mala sibi imminētia præviderent) obligari, nè Sponsalia urgeant, imò ut ea declinent, vel se manifestent: 1<sup>o</sup>. Si ipsis innotescat impedimentum dirimens, vel defectus substantiæ matrimonij repugnans. 2<sup>o</sup>. Si laborent defectu, qui noxius futurus sit alteri, aut matrimonio notabilem difficultatem allaturus. Talis est lepra, paralytis, morbus gallicus, mores perditī, sinè animo corrigendi, infamia honestam familiam deturpatura, sterilitas, imprægnatio facta à non Sponso: hoc postremum tamen extendendum non est ad adulteram imprægnatam à non marito, propter grandia mala, quæ manifestanti à marito imminerent, & quia per talem manifestationem non averteret damnum jam illatum, nec positivè noceret per ejus celationem, sicut si Sponsa celet Sponsum. Ratio defectuorum est, quia juxta citatas leges talium defectuum celatio esset similis venditioni mercium vitiosarum. 2<sup>o</sup>. Si Comparti tales defectus aliunde innotescant, dissolvēt illa Sponsalia cum grandi disgustu, & aliis peccatis ex illo orituris, parti fraudulentæ imputandis. 3<sup>o</sup>. Nisi ante contractum matrimonij prodantur, sequentur infausi exitus matrimonij, dissensiones, divortia &c. Ejusmodi Sponsalia tamen, utpote priorī valida, impedimentum publicæ honestatis indu-

indu  
stilla  
2.  
noxi  
tur,  
simu  
rum  
fami  
celar  
usu  
sibi  
3<sup>o</sup>.  
ptio  
adeo  
form  
pert  
ctibu  
tion  
habe  
Con  
cum  
3  
cien  
qui  
est a  
tia  
Ad  
l. S  
de  
latio  
tem  
qua

inducunt, ut notat *Gobat ex Perez & Dicastillo n. 382.*

28. Quod si verò defectus non sint multum noxij, aut incommodi, nec mali exitus metuantur, nec compars ad Sponsalia inducta sit per simulationem bonorum illis defectibus oppositorum, cessabit obligatio manifestandi; imò si infamia metuatur, indirectè, absque mendacio, celari poterunt: Ratio est 1<sup>o</sup>. Quia passim in usu sunt tales contractus: 2<sup>o</sup>. Quia pars decepta sibi imputare debet, quòd non fuerit accuratior: 3<sup>o</sup>. Non patitur magnum damnum in tali deceptione, & simili jure gaudet respectu compartis, adeoque non fit ei injuria. Tales defectus sunt, fornicatio sine effectu secuto, ignobilitas, paupertas. Et post Sponsalia cum memoratis defectibus contracta, pars defectuosa etiam executionem Sponsalium urgere poterit; utpote jus habens ad matrimonium. Haecenus *Gobat* & *Consentit Ilfing tr. 6. D. 9. n. 31.* citans *Amicum & alios.*

39. Ob. 3<sup>o</sup>. Solum Adulterium præter speciem luxuriæ, etiam addit speciem injustitiæ, atque fornicatio Sponsorum cum aliis solutis, non est adulterium. Ergo nec addit speciem injustitiæ in confessione explicandam. Minor. prob. *Adulterium proprie in nuptam committitur l. Si uxor 13. §. si quis uxorem ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* nam adulterium est alieni tori violatio. *c. lex illa. 2. XXXVI. q. 1.* Sponsa autem nec est nupta, nec tori consors. Unde quamvis in *d. l. Si uxor* permittatur Sponso

H

vindi-

vindicare stuprum Sponsæ illatum, sicut marito adulterium, tamen ex paritate pœnæ non semper bene infertur paritas delicti, cum non rarò diversa crimina eâdem pœnâ plectantur, præterea per Sponsam cum Sanchez *l. 1. D. 2. n. 3.* intelligi potest uxor ante Matrimonium consummatum; accedit quòd universim in lege Julia de Adult. hæc duo inter se confundantur, & unum pro altero accipiatur, ut monet *Œcius in l. 6. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. & l. 101. ff. de V. S.* atque ità accipi in *d. l. Si uxor, §. 3.* Satis declarat subsequens *§. si minor. 8.*

30. Resp. Solum adulterium addit speciem injustitiæ propriè, & strictissimè dictæ C. Maj. Solum illud addit speciem injustitiæ inchoatæ, & minùs strictæ, lædentis jus ad rem (imò & jus in re postquam Sponsus cogitur alere prolem alienam, quam putat esse suam, illique relinquere hæreditatem cum legitimis prolibus, quæ pericula fornicanti voluntaria sunt, adeoque juxta argumentum 3<sup>m</sup>. Conclusionis, explicanda in Confessione) N. Unde meritò Sanchez, *Layman.* & alij à Mastrio citati, docent saltèm Sponsæ fornicationem reductivè pertinere ad adulterium, & mutare speciem propter specialem injuriam luxuriæ additam.

31. Ob. 4. Cum Mastrio, & nonnullis præsertim Sectistis: Quamvis Sponsa corpus suum alteri commodet, adhuc manet Sponso jus integrum in Sponsa, quod nihil aliud est, quàm obligatio, & debitum contrahendi cum suo Sponso Matrimonium, & hoc jus Sponso manet.

Ergo

Ergo huic non fit injuria. Conf. Sponsa per sola Sponsalia non dum Sponso dedit jus in suum corpus, sed tantum promisit dare. Ergo alteri se prostituendo non facit sponsa injuriam, sicut non faceret, qui promississet, alteri vendere agrum, quem interim tertio commodaret, etiam ad damnificandum.

32. Resp. 1<sup>o</sup>. Ipsum Matrimonium D. 7. de Matrim. q. 10. n. 314. fateri, quod corpus Sponsi promissum debeat Sponsæ ex justitia, & vicissim. R. 2<sup>o</sup>. N. liij integrum: nam hoc jus consistit in debito, quo Sponsa obligatur ad tradendum aliquando corpus suum in statu, in quo erat tempore Sponsalium, nempe non violatum ab alio: Sponsus enim nolisset contrahere cum prostituta; præsertim cum periculo alendi prolem alienam; non habendi uxorem fidelem &c. si ergo Sponsa non audeat alicui tertio corpus suum promittere, nec sine injuria Sponsi illud in usum commodare potest; alioquin fiet Sponso injuria, non secus, inquit Laymannus, atque injuriam inferre censetur, si quis equo, qui mihi exemptionis contractu debitus, ac necdum traditus est, oculum eruet.

33. Ad Confirm. R. Sponsa non dedit jus perfectum, & in re, cum extraditione C. Antec. non dedit inchoatum, imperfectum, & ad rem N. Antec. & Conseq. ejusque paritatem: nisi sicut in Sponsalibus, sit promissio mutua, quâ obligetur hic vendere, ille emere, & pretio quidem determinato, & justo, sicut in Sponsalibus promittitur corpus pro corpore, non vitiato;

quo casu empturo eodem modo fieret injuria, si venditor agrum prius commodaret alteri in destructionem.

34. Ob. 5. Qui aliquem fustigat, censetur etiam fratrem ejus injuriâ afficere, & tamen circumstantiam fratris injuriati, non tenetur aperire in confessione. Ergo à pari. 2<sup>o</sup>. Qui post emissum votum Religionis fornicatur, non facit Religioni injuriam, quam in confessione debeat explicare. Ergo iterum à pari. 3<sup>o</sup>. Si quæ injuria fit Sponso, fati illi compensatur per hoc, quod possit licitè resilire, & fortè arrhis retentis, quæ libertas resiliendi negatur Sponsæ corruptæ; ergo nulla restat injuria in confessione explicanda. Sicut qui legem purè pœnalem violavit, non incurrit culpam, quæ sit necessaria materia confessionis. 4<sup>o</sup>. Ante matrimonium initum Sponsa adhuc habet jus in suum corpus, ergo absque injuria Sponsi illud commodat alteri.

35. Ad 1<sup>m</sup>. R. N. paritatem, quia talis fustigator ex nullo pacto, aut contractu inito se obligavit ad præcavendam infamiam illius fratris, quem insuper indirectè tantùm præter intentionem lædit: Sponsus autem est Sponsæ, ex sponsalibus obligatur ad corpus inviolatum servandum. Præterea si fustigator prævideret ex ea fustigatione infamiam, aut aliud damnum speciale oriturum, etiam ille hanc circumstantiam consistere deberet.

36. Ad 2<sup>m</sup>. R. disparitatem esse 1<sup>o</sup>. Quia ille vovens non promittit Religioni corpus suum, sed servitium, cui fornicatio prævia non obstat, 2<sup>o</sup>. Ille

Ille vovet DEO, non verò Religioni, nec illa votum excipit. ergo Religioni non fecit injuriam.

37. Ad 3<sup>m</sup>. R. Satis illi compensatur, ut reus in foro externo ad nihil ampliùs teneatur, sicut ad nihil tenetur, qui grave dānnum intendit alteri, effectu non secuto C. ut ad nihil teneatur, nisi ut se accuset de sola luxuria in foro interno N. Antec. & Conseq. R. 2<sup>o</sup>. N. Antec. Nam injuria ipsi facta, infamia, onus impedimenti publicæ honestatis contractum, neglectæ interim aliæ nuptiæ, aut Sponsalia, periculum alienæ proles alendæ, casu quo fornicatio Sponsæ ante contractum matrimonium non innotescat, & metus mali exitus ex talibus nuptiis, non compensantur sufficienter.

38. Ad 4<sup>m</sup>. R. Adhuc habet jus limitatum, & imperfectum C. plenum & liberum, non vinculum N.

39. Ob. 6. Quamvis per luxuriam implicite etiam committatur injuria, vel inobedientia in DEUM, nemo tenetur has circumstantias confiteri. Ergo nec Sponsa injuriam commissam in Sponsum. R. N. Conseq. quia illa injuria, & inobedientia sunt formalitates communes, in omni peccato repertæ, adeoque jam implicite subintelliguntur, è contra injuria Sponso facta, non reperitur in omni luxuria. Ergo ea explicanda est; sicut si Sponsa Christi, per votum obstricta luxurietur, circumstantia voti aperienda est.

## QUÆSTIO III.

*An fide promittens Matrimonium, &  
sub spe illius deflorans virginem,  
teneatur corruptam  
ducere?*

*Ex num. 2.*

40. **N**egativam tenent pauculi, citanturque pro ea Perez, Ledesma, Antoninus, Bonacinna. Affirmativa tenenda est, cum Sanchez multos citante, & agnoscente obligationem sub culpa mortali, l. 1. D. 10. n. 3. *Lessio l. 2. c. 10. dub. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 11. Palao de Sponsal. Disp. 1. p. 2. num. 3. Pirrhing super tit. de Adult. n. 56. Gobat de Sponsal. num. 230.* Si vera fuit promissio, juxta eundem deflorator obligatur corruptam ducere etiam sub periculo exhæredationis, n. 335. Qui verò absque promissione stuprum intulit, tenetur constupratam, aut ducere (nisi gravia mala ex tali matrimonio prævideantur) vel juxta electionem constupratæ eandem dotare; aut dotem augere, ut Matrimonium competens, quale alias accepisset, obtineat. Spontè autem, sine vi aut inportunis precibus, & sine ulla promissione consentienti ad nihil rependendum obligatur. *Idem num. 208.* Præfatis authoribus accedit *Zoësius, Engel, König, Oberascher, Mastrius, apud hos Lugo, Molina, Dicastillo, Becanus, Tancredus, Pontius, Hurtadius, Cassene*

*Cassensis, Meratius &c.* Prob. **Conclusio 1<sup>o</sup>.**  
*ex c. 1. de Adulter.* ubi adducitur illud *Exodi*  
 22. v. 16. *Si seduxerit quis virginem, nec-*  
*dum desponsatam, dormieritq; cum ea, dota-*  
*bit eam, & habebit eam uxorem.* Prob. 2.

In omni contractu innominato, do ut des, facio  
 ut facias, si una pars contractum impleverit, te-  
 netur etiam altera ad implendum, quamvis fictè  
 promississet, & fictionem probaret, quia nimi-  
 rum ex iustitia tenebatur verè promittere, habere-  
 que animum se obligandi. Ergo cùm in præ-  
 senti casu puella (idem est de honesta vidua)  
 commodando corpus suum ex parte sua contra-  
 ctum impleverit, & deflorator teneatur habere  
 animum implendi, etiam tenebitur contractum  
 implere, ducendo corruptam, ità ut teste Lay-  
 manno in omni foro ad id compelli possit, quam-  
 vis puella non promississet vicissim matrimonium,  
 ut notat *Sanchez, Pirrhing & alij.* 3<sup>o</sup>. Talis  
 Deceptor in foro externo compelletur corruptam  
 ducere (tum nè ex sua malitia commodum re-  
 portet, contra *c. Intelleximus 7. de Judic.*  
 tum nè in commerciis humanis porta fraudibus  
 pateat) ergo etiam in foro interno obligatur  
 ad eam ducendam; cùm hoc forum alteri confor-  
 mari debeat, nisi illud falsæ præsumptioni innita-  
 tur, ut probat *Sanch. l. 1. D. 5. n. 20.*

41. Ob. 1<sup>o</sup>. Talis deceptor non obligatur ex  
 promissione, cùm ea ficta, adeoque nulla sit; sed  
 neque ex damno illato: quia illud potest alio  
 modo compensare v. g. per dotem &c. ergo. R.  
 Trans. Antec. N. Conseq. potest enim obligari



ex acceptatione copulæ, quæ sub conditione matrimonij contrahendi, & non aliter concessa erat, sicut quis obligatus esset domum extradere, pro qua pretium acceptasset, & illud consumpsisset. R. 2<sup>o</sup>. Talem obligari ex damno illato, pro quo non tenetur decepta aliam compensationem acceptare; tum quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest. l. Mutuum 2. §. 1. ff. de rebus credit. tum quia puella tantum sub hac, & non alia conditione corpus suum commodavit; tum quia deceptio talis non potest perfecte compensari, nisi auferatur injustus dolus per matrimonium. R. 3<sup>o</sup>. Deceptorem obligari ex æquitate, qua tenebatur verè promittere, unde suo mendacio pernicioso mortaliter peccavit teste Sanch. l. 1. D. 9. n. 3.

42. Ob. 2<sup>o</sup>. Deceptor talis potest coram tertio protestari, quod precisè fictè promittat. Ergo saltè eo casu non obligabitur ad corruptam ducendam. R. C. Antec. N. Conseq. quia protestationem eam elidit, vel elidere tenetur per acceptationem copulæ. Ergo non minùs obligatur, quàm is, qui pro domo sua acceptaret pretium, licèt coram tertio protestaretur se nolle eam vendere.

43. Ob. 3<sup>o</sup>. Potest seductor seductam excedere nobilitate, vel divitiis. Ergo ad eam ducendam non obligabitur. R. 1<sup>o</sup>. C. Antec. D. Conseq. Non tenebitur, si seducta fraudem facillè advertere, vel suspicari poterat; quia sic censeretur in fraudem consentire juxta Reg. 86. J. in 6. C. Si non potuit ullo modo advertere, vel quia De-  
cepto-

ceptoris conditionem ignoravit, vel quia hic talia signa dedit, ut illa prudenter credere potuerit, quòd non obstante conditione dispari in matrimonium assumenda sit, prout non rarò conditione dispares conjunguntur N. Conseq. Sic etiam Bonacinna de Sponsal. 2. 1. p. 2. n. 1. § 2. docet, de veris Sponsalibus, graviter illa obligare, licet celebrata essent à nobili, vel divite, cum ignobili, vel paupere. R. 2<sup>o</sup>. Cum Lugone omnino probabile esse, posse talem alià viâ damnum compensare, si valde dispar sit, ne satisfactio, quæ fieret per sui traditionem in matrimonium nimis excedat debitum. Aliud est de matrimonio, in quo qualitas, vel mutatio non solet irritare matrimonium, sicut irritat Sponsalia.

44. Hic præterea notandum est, ex Sanchez, Lessio, Gobat, Pirrhing, Bonacinna &c. Deceptorem non obligari ad matrimonium. 1<sup>o</sup>. Si puella ab eo deflorata, etiam fornicetur cum alio: 2<sup>o</sup>. Si se finxit, aut jactavit virginem, & non fuit, imò juxta Pirrhing ex Lessio, quamvis se talem esse non jactasset; quia eo casu matrimonium esset nimis magna merces pro aliunde violatæ copula; nisi fortè mulieri ex denegato matrimonio nimis magna damna imminerent. 3<sup>o</sup>. Si aliam satisfactionem spontè acceptet. 4<sup>o</sup>. Si ex matrimonio tali grandia mala, & infausti exitus præviderentur. 5<sup>o</sup>. Si aliquod impedimentum dirimens interveniret; quamquam Lugo in respons. moral. l. 6. c. 19. & hunc secutus Gobat condemnaverit adolescentem ad puellam petitâ

H 5

dispen-

dispensatione ducendam ; in quarto cognationis gradu conjunctam.

45. Ob. 4. Inter Corruptorem & corruptam in præfenti casu, tantùm intercedit contractus in-nominatus, *dout des*. Atqui pro hoc non datur actio ad promissum, sed præcisè ad satis dare pro interesse *l. 5. in fin. ff. De præscriptis verbis, junctis Interpret.* Ergo corruptor non obligatur ad rem promissam, seu ad matrimonium. R. C. Maj. D. Min. Non datur actio ad promissum, quando damnum est per aliud reparabile C. Min. quando non est reparabile sicut hic N. Min. & Conseq.

46. Ob. 5. Si sola ficta promissio intercessisset, sinè defloratione, vel sola defloratio, sinè promissione, non daretur obligatio ad ducendum, sed ad sola damna reparanda. Ergo nec datur, si defloratio jungatur promissioni fictæ, habenti se ac si non adesset, cùm sit irrita. Conf. si quis successivè sic plures defloravit, ad nullam ducendam obligabitur ; cùm non sit ratio pro una potiùs, quàm pro alia. Ergo nec tenetur, si unam.

47. R. C. Antec. N. Conseq. quia ficta promissio, utpote irrita, se solâ in foro interno non obligat, quamvis sit peccaminosa, obligat autem ex rationibus n. 41. & n. 42. insinuat, si sit deflorationi conjuncta. Sola defloratio (nisi juxta num. 41. coacta sit) etiam non obligat ad matrimonium ; si sit defloratæ voluntaria, quia *volenti non fit injuria Reg. 27. J. in 6.* Ad Conf. R. Quòd tali casu prima deflorata sit

fit potior jure, sicut est potior tempore R. 54.  
F. in 6.

QUÆSTIO IV.

*An Sponsalia juramento confirmata sic obligent, ut nisi prius per matrimonium ratum impleantur, non sit licitum Religionem ingredi?*

Ex num. 2.

48. **R** Esp. Negativè. Ità *Suar.* tomo 2. de *Relig.* l. 2. de *Furam.* c. 12. à n. 14. *Sanch.* l. 1. D. 43. num. 3. ubi citatis plurimis, vocat sententiam verissimam. *Palauus de Sponsal.* D. 1. p. 18. n. 5. *D. Schambogen in sua Hecatombe Dissertat.* 81. *Pirrhing, Canisus, Wagnerek & hoc teste Canonista super cap. Commissum* 16. de *Sponsal.* *Mastrius Diss.* 7. de *Matrim.* q. 10. n. 303. *Ilfung, Zoësius, König; Oberascher,* qui meritò excipit cum *Pirrhing,* dummodo copula carnalis cum *Sponsa non intervenerit, ex cit. Capit. commissum.* Citantur præterea *Covarruv., Coninck, Gutierrez, Pontius &c.* Contra *Navarrum, Ledesman, Brancatum, aliosq;* paucos. *Prob. Ex Trident. Sess.* 24. de *Sacr. Matr.* c. 6. & ex c. *Verum* 2. & c. *Ex publico* 7. de *Convers. Conjugat.* Licitum est Religionem ingredi post ipsum matrimonium ratum, quamvis juratum, ut etiam constans est opinio apud

apud omnes teste *Suar. l. c. n. 8.* Ergo à potiori id licitum est post Sponsalia: juramentum enim non impedit; 1<sup>o</sup>. Nam matrimonium ratum est vinculum fortiùs, quàm Sponsalia jurata, utpote statum constituens, nec dissolubile per mutuum consensum; vel propter fornicationem, aut mutationem compartis, sicut dissolvi possunt jurata Sponsalia. Ergo si matrimonium ratum ingressum in Religionem non impedit, nec Sponsalia jurata impediunt. 2<sup>o</sup>. Quia juramentum sequitur naturam contractùs, pro quo interponitur. *c. Quemadmodum 25. de Furejur. l. fin. C. de non numer. pec.* ergo sicut Sponsalia, imò & matrimonium ratum includit hanc tacitam conditionem: *nisi statum Religionis elegero*, ità eandem includit juramentum, ut non sit periculum perjurij; quòd autem conditio illa includatur, patet ex juribus cit. & in hac parte conveniunt maximè Doctores inquit *Suar. l. c. n. 16.* 3<sup>o</sup>. Juramentum non infringit, qui illud commutat in melius, *arg. c. Pervenit 3. de Furejur. c. Scriptura 4. de Voto & Voti redempt.* Atqui melius est Religionem ingredi, quam nubere *c. Nuptiarum 41. XXVII. q. 1. & 1. ad Cor. 7. v. 38. & 40.* ob quam causam professio Religiosa extinguit omnia vota alia priùs emissa. ut docent D. D. *in c. Scriptura.* teste *Lym. l. 5. tr. 5. c. 10. n. 3.* Ergo. 4<sup>o</sup>. Gregorius XIII. *Declaravit mulierem etiam post Sponsalia jurata posse liberè fieri monialem:* inquit *Jac. Pignatellus tr. 9. Consult. 133. n.*

48. idem est de viro, ob identitatem rationis.  
Ergo.

49. Ob. 1<sup>o</sup>. *Cap. Commissum 16. de Sponsal.* de tali Sponso expressè dicit: *Tutiùs est ei Religione juramenti servatâ prius contrahere* (nempe matrimonium ratum) *& postea, si elegerit, ad Religionem migrare.* Ergo non potest Sponsus post jurata Sponsalia Religionem ingredi, nisi prius matrimonium ratum contrahat, & sic Sponsam magis de suo ad eam reditu certificet, casu quo in Religione non perseveret. Hoc capitulum, ut videre est apud *Suarez, Zoësum, Schambogen &c.* mirè torquet capita Authorum. Aliqui dicunt hic à Pontifice tantum dari consilium, non præceptum; Sed non apparet, quomodo hoc sit tutius; cum aliàs plenè ad Religionem amplectendam resolutò per se tutius sit immediatè ingredi.

1<sup>o</sup>. Quia Religio est status perfectior, & à periculis remotior. 2<sup>o</sup>. Quia mulieri cohabitans periculo se exponit nè voluptate illectus sanctum propositum mutet. 3<sup>o</sup>. Quia Matrimonij rati, mox iterum deserendi contractus, videtur esse actus prorsus otiosus, ad nihil utilis; imò Sponsæ, & Sacramenti illusorius, & juramento, quo sinè dubio matrimonium stabile intendebatur, minùs conformis: unde *Sanch. l. 1. D. 43. n. 7. & 10.* Solidè probat, eum peccare mortaliter; qui contrahit cum intentione ingrediendi Religionem, ante consummationem matrimonij, propter gravia mala Sponsæ sic deceptæ, & non præmonitæ, imminèntia; præsertim si  
Spon-

Sponsus ille prius voto castitatis, vel ingredienda Religionis obstrictus fuisset; cuius voti dignitati per tale matrimonium multum derogaret. Ergo, ut habet Palaus, si non contra justitiam, saltem graviter delinqueret, contra Charitatem.

§ 0. Alij putant esse tutius, secundum vulgi opinionem, quod talem Sponsum facile argueret de perjurio, nisi prius matrimonium ineat. Verum Pontificis decisio petebatur, non secundum errantis vulgi opinionem, sed secundum rei veritatem. *Mastrius ex Bonacina* putat esse *tutius* si alioquin Sponsa ex ingressu prævio ad Religionem, subiret damna aliqua, vel infamiam, tanquam ob aliquod scelus deserta: verum hoc casu non esset tutius tantum, sed simpliciter necessarium, & obligatorium. Alij comparativum *tutius*, ut subinde fit, poni credunt pro positivo. Mihi dicendum videtur, non esse quidem tutius simpliciter, & universaliter, aut per se, ut dictum est; sed in præsentis casu, in quo Sponsus nondum erat firmiter determinatus ad ingressum, nec eum elegit, sed adhuc deliberabat, seu *suspirabat*, unde additur, & postea si *elegerit*; insuper juraverat intrà biennium matrimonium se initurum, quod tempus ad finem properabat. Tali finè dubio *tutius* erat prius matrimonium contrahere: non poterat enim expectare usque dum biennium plenè efflueret, quia sic perjurus fieret; nec immediatè Religionem ingredi, ante plenam resolutionem tutum erat, ob periculum regressus non finè infamia, & jactura Sponsæ, secuturi: *tutius* ergo huic fuerat prius matrimonium contrahere,

trahere, & per duos menses, qui ad deliberandum in matrimonio rato conceduntur, de statu Religioso maturius deliberare.

§1. Ob. 2<sup>o</sup>. *Non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae. c. Si verò 8. de Jurejur. simile quid dicitur. c. Cum contingat 28. Unde ex cap. Debitorum 6. eod. tit.* tenetur quis etiam usuras solvere, si ad eas pendendas juramento se obstrinxit. Ergo cum sine dispendio salutis possit Sponsus juramentum servare, & nihilominus postea ad Religionem se transferre, non licebit ei eandem prius ingredi. R. N. Suppositum, quod talis juramento suo contra veniat; quia illud erat conditionatum: nisi elegero Religionem juxta dicta pro Conclus. quam conditionem non habent juramenta in objectione posita.

§2. Ob. 3<sup>o</sup>. *Quamvis juxta probat. 3. Conclus. communiter licita sit commutatio juramenti in melius, illicita tamen est, dum cedit in injuriam, & præjudicium tertij; nec acceptatur à DEO, sicut paritas est in voto; similiter qui Petro promisit dare centum, non potest promissionem licite commutare in eleemosynam mille florenorum alteri, quam Petro donandorum. Ergo nec mutare licet Sponsalia in statum Religionis. R. N. supposita argumenti: 1<sup>o</sup>. Quod Sponsæ fiat injuria; Sponsus enim utendo jure suo ab Ecclesia sibi concessa, nulli injurius est. Reg. 55. F. ff. 2<sup>o</sup>. Quod Sponsus tali casu juraverit absolute, cum jura pro favore statûs Religiosi, similibus*  
 jura;



juramentis semper inesse velint tacitam conditionem: *nisi jurans Religionem amplectatur*; quæ conditio nec per intentionem jurantis excludi potest; quia exclusio adversaretur bono, & juri communi, cui privatus renuntiare non potest. *arg. c. Si diligenti 12. de foro Compet.* Insuper citatus Suarez c. 12. n. 17. notat, nec satis rationabilem fore promissionem absolutam matrimonij, sinè prædicta conditio; quia prudens non est, cum tanti boni spiritualis dispendio, facere se perpetuò inhabilem ad statum meliorem. Ex his R. 2. C. Antecedente N. Conseq. quia in priori casu ponitur absolutè jurans, aut promittens; cui si licita esset mutatio; infinitæ fraudes cum injuria tertij sub prætextu melioris boni fieri possent; in nostro casu est promissio conditionata tantum, conditio in jure fundata.

53. Ob. 4<sup>o</sup>. Non licet debitori ingredi religionem, ante solutionem debiti, si illud solvere possit. Atqui talis Sponsus contrahendo matrimonium, potest obligationi suæ satis facere; & insuper gratiæ Sacramentalis, quæ in matrimonio confertur, prius se participem. ergo. Conf. si non impleat prius juramentum, sequitur quòd DEUM fecerit testem falsi, quod nunquam est licitum. Ergo. R. C. Maj. N. Suppositum min. quòd talis habeat obligationem, seu absolutum debitum contrahendi matrimonium; unde est disparitas ad alia debita absoluta. Gratia autem Sacramentalis, tanto periculo mutandi pium propositum conjuncta, facilè compensabitur aliis gratiis, quas DEUS tali rependit, qui se totum

consecrat in obsequium Divinum. Quæ verò gratia specialis datur pro ferendis matrimonij oneribus, aspiranti ad Religionem hæud necessaria est. Ad Conf. N. sequelam, cum tale juramentum sit verum sub conditione.

QUÆSTIO V.

*An Sponsalia inter cognatos, vel aliter impeditos valeant, contracta sub conditione: si Pontifex dispensaverit?*

*Ex num. 10.*

54. **N**egant non pauci ex antiquis apud Sanchez, his accedit Busenbaum citans Barbosam cum Diana, & tacito nomine alios decem; Sporer addit Dianam, Sotum, Navarrum, Pater Wex Cardinalem de Luca, Oberascher ait esse Sententiam communem Canonistarum, cui favet Wagnerek super cap. finale de Condit. appof. Melius affirmant Sanchez l. 5. D. 5. n. 12. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 4. Castro Palaus de Sponsal. D. 1. p. 16. n. 7. Gobat Tr. 10. de Spons. n. 161. Ilfing Tr. 6. D. 9. n. 16. Zoësius, Pirrhing, Engel super tit. Decret. de Condit. appof. P. Wex in suo Opusculo Canon. Trid. Sporer, König, Oberascher. Denique plurimi apud Sanchez, & Gobat, tum Theologi tum Canonistæ, & apud Pasqualigum teste Sporer innumeri. Prob. 1<sup>o</sup>. Sponsalia sub dicta conditione versantur circa ob-

I

jectum

jectum licitum, possibile, & honestum; nempe circa matrimonium inter impeditos post impetratam dispensationem, contrahendum. Ergo nulla ratio ea reddit invalida: quare regulam tradunt Doctores (inquit Laym.) ut videre est apud Abbatem: *Paria sunt, aliquid disponi in tempore habili, vel in tempore inhabili, si effectum conferatur in tempus habile.* Prob. 2<sup>o</sup>. Pontifex cum impeditis sæpe dispensare solet, imò ex gravi causa subinde tenetur. Ergo talis dispensatio, nec contra jus est, nec inhonesta. Ergo Sponsalibus adjecta, nec facit ea illicita, nec invalida. 3<sup>o</sup>. Aliæ promissiones valent, sub conditione: *si Princeps dispensaverit*; dummodo sit justa causa dispensandi; & Princeps solet dispensare; nec conditio sit incivilis, aut alicui injuriosa, aut tristis. Ergo & Sponsalia sic conditionata valent; cum nullibi excipiantur; ita ut frustra P. Wagnerek dicat ea valere sub ratione simplicis promissionis, non autem Sponsalium: si enim simplex promissio sic conditionata esse potest, cur non etiam Sponsalitia? Antec. prob. Valet legatum testatoris relegati, sub ea conditione: *Si aliquis ex suis heredibus, vel amicis ei impetraverit restitutionem ab Imperatore &c. l. Quidam Relegatus s. ff. de rebus dub.* Item valida est institutio Spuriij, sub conditione, *si Princeps eum legitimaverit*, similiter valet, & obligat votum Episcopi ingrediendi Religionem, *si Pontifex dispensaverit &c.* ut cum communi ex Sanchez docent Laym. Palaus aliique. Ergo & Sponsalia. 4<sup>o</sup>. Talis pro.

promissio sponsalitia involvit duo, nempe: obligationem petendi dispensationem, & eam obtentam contrahendi; utrumque autem est possibile, & honestum, ita ut nulla sit ratio eam invalidans: Ergo.

55. Ob. 1<sup>o</sup>. Quæ pendent à voluntate Principis, censentur impossibilia: ergo etiam prædicta conditio Sponsalibus adjecta impossibilis censeri debet, adeoque invalidans. Antec. probatur ex *l. Inter stipulantem 83. §. Sacram. 5. ff. de V. O.* ubi invalidatur alienatio loci sacri, & venditio hominis liberi: sub conditione: *Cum servus esse cæperit, & locus, cum ex sacro Religiosove profanus esse cæperit.* Similia habentur *l. Continuus 137. §. 6. tit. eod.* ubi subjungitur *nullius momenti fore talem stipulationem: proinde ac si ea conditio, quæ naturam impossibilis est, inserta esset: nec ad rem pertinet, quod jus mutari potest, & ad id, quod nunc impossibile est, postea possibile fieri: non enim secundum futuri temporis jus, sed secundum presentis aestimari debet stipulatio.* Et *l. Cum servus 39. §. 10. de Legat. 1.* dicuntur non posse prædia Cæsaris legari à non Domino, licet hic ex voluntate Cæsaris eorum Dominus fieri posset. ergo.

56. R. D. Antec. quæ pendent à voluntate Principis censentur impossibilia, quando non adest spes prudens implendæ conditionis (quod fit, si non soleat unquam, vel rarissime dispensatio concedi, ut si quis vellet sibi sororem desponsari sub conditione: si Pontifex dispensaverit; vel si

non sit causa justa, & gravis dispensandi; vel si conditio sit tristis, & incivilis, metuenda potius quam expectanda, aut procuranda *arg. l. Cum tale legatum 72. ff. de Condit. & Demonstr.* vel denique si de rebus à voluntate Principis dependentibus fiat stipulatio absoluta, ut fuse declarat Sanchez l. 5. D. 5. n. 25.) **Conc.** Antec. Si in oppositis casibus adsit spes conditionis implendæ, censentur illa impossibilia vel turpia N. Antec. & Conseq. Ex his facile explicantur leges objectæ: Nam lex: *Inter stipulantem* ponit condiciones tristes, & inciviles; quia rem sacram fieri profanam, publicam fieri privatam, hominem liberum fieri servum, derogat statui meliori hominis liberi, rei sacræ, & publicæ. Cum tali conditione tristi inita censerentur esse Sponsalia, quæ vir contraheret cum alia ducenda, casu quo ejus uxor moriatur: unde Pirrhing ex communi Doctorum, dicit esse irrita, puniendosque contrahentes *arg. c. fin. h. t.* Engel rationem addit, quia tale pactum est turpe, dans occasionem captandæ mortis, Reliquæ duæ leges insuper ponunt contractum venditionis *absolutum*, non autem conditionatum: *si res desiderit esse publica, aut aliena:* & talis absoluta de rebus alienis dispositio haud dubiè irrita est, ut notat Ilfung. Nec dici potest, talem conditionem subintelligi; nam quæ de jure non inest, exprimi debet, juxta *l. Condiciones extrinsecus 99. ff. de Condit. & Demonstr.* & plures à Sanchez *cit. n. 25. & seq.* Similiter ergo invalida quidem essent Sponsalia absoluta inter

con-

consanguineos, non verò conditionata, & illa insuper, si forent *de presenti*, inducerent excommunicationem, non autem conditionata. *Clem. un. de Consanguin.* Tandem lex ultimò allegata, potiùs nostram sententiam confirmat, dum in fine dicit, quòd prædia Cæsaris *non soleant distrahi*. Ergo ex opposito, valeret contractus de illis conditionatus, si distrahi, aut circa illa dispensatio dari solitum esset.

57. Ob. 2<sup>o</sup>. Conditio à voluntate Principis pendens, derogat juri communi, quod non decet mutari, ergo rejicienda est tanquam turpis, & inhonesta. R. permissâ 1<sup>a</sup>. parte Antecedentis D. 2<sup>am</sup>. quod mutari non decet sinè causa, & autoritate subditi C. cum causa, & voluntate Principis N. Aliàs nulla privilegia, aut dispensationes petere licebit, utpote à jure communi exorbitantes.

58. Ob. 3<sup>o</sup>. Matrimonij contractus inter impeditos non valet, cum conditione: si *Pontifex dispensaverit*. Ergo nec Sponsalium. R. permissò Antec. N. Conseq. Disparitas est I. Quia Pius IV. Idibus Decemb. 1555. (ut habetur in lib. 7. *Decretal. de Sponsal.*) expressè declarat, tales imposterum non obtenturos dispensationem, qui sub spe illius impetrandæ contrahunt de presenti in gradu secundo consanguinitatis, vel affinitatis. II. Quia, ut Laym. loquitur; nunquam præsumendum est, voluntatem dispensantis Pontificis esse, ut matrimonium præterito tempore contractum valeat, sed ut post collatam dispensationem, præmissis denuntiationibus *in*

*facie Ecclesie* contrahere liceat, sicut apertè ex bullis Pontificiis colligitur. Quis autem in *facie Ecclesie* contrahere vellet cum periculo infamiae, casu quo dispensatio denegetur. III. Valde probabile est (juxta num. 10.) matrimonij contractum non posse esse conditionatum, sicut nullius alterius Sacramenti forma aut intentio conditionata est; præsertim, quia hic contractus est indissolubilis, non esset autem, si à conditione defectibili penderet. Ergo non potest esse conditionatus, vel saltèm illicitus est, cum in materia Sacramentorum, non liceat sequi sententiam probabilem, relicta tutiore; nihil tale obstat Sponsalibus.

59. Ob. 4<sup>o</sup>. Cum P. Wagnerek Personæ impeditæ non sunt habiles ad contrahendum; & dispensatio in inhabilitate pendet in solidum à voluntate Principis, quem non possumus cogere, neque præsumere, quòd ante dispensationem ullum actum nostrum validum esse velit. Ergo non valent eorum Sponsalia. R. Sunt inhabiles ad contrahendum absolutè, nec possumus præsumere quòd Princeps actum absolutè, vel contractum Matrimonij velit esse validum ante impetratam dispensationem C. Antec. ad contrahendum conditionatè Sc. N. Antec. & Conseq.

60. Ob. 5<sup>o</sup>. Juxta Cardinalem de Luca apud P. Wex, praxis & decisio Rotæ requirit in Sponsalibus sub præfata conditione initis, novum consensum, postquam purificatur conditio. Ergo prior non erat validus. R. Requirit novum consensum in Sponsalibus dubiis; vel absolutè sine  
addita

addita conditione celebratis, vel in casu in quo non solet facilè dispensatio concedi; vel ubi petentium supplicatio gravi causæ non innititur C. secus N. Antec. & Conseq. Nam *Palau D. 1. p. 16. n. 10.* Ex Seraphino oppositas decisiones allegat, & teste Gobat apud P. Wex in *Dicasteriis Ecclesiasticis etiam Romæ praxis objicienti opposita viget.*

61. Ob. 6<sup>o</sup>. Sponsi possunt ex Sponsalibus dicto modo conditionatis pro libitu resilire. ergo non obligant. Antec. prob. Ejusmodi Sponsalia sunt minùs firma, quàm Sponsalia impuberum, atqui hi puberes facti possunt resilire juxta dicta parte I. num. 19. Ergo etiam illi Sponsi. Conf. Tales Sponsi non obligantur ad procurandam dispensationem. Ergo nec Sponsalibus obligantur R. D. Antec. possunt resilire mutuo consensu C. non mutuo N. nam si hic non intercedat, quisque tenetur expectare eventum conditionis, non minùs quàm in aliis contractibus conditionatis. Ad probat. R. N. Maj. Nam pro impuberibus expressè conceditur facultas resiliendi adeptâ pubertate *c. De illis 7. de Despons. Impub.* Non autem pro puberibus contrahentibus sub conditione: nisi impediti contraxissent absolutè; vel cum impedimento, in quo rarissimè, aut nunquam dispensatur. Nam in talibus *cessat obligatio, veluti si Sororem suam nupturam sibi aliquis stipulietur. l. Si stipulator 35. §. 1. ff. de V. O.*

Inter casus rarò dispensari solitos contra Sanchez, Gobat ponit consanguinitatem in 2. gradu



ex licita copula ortam; cum sic contrahentibus magna mulcta imponi soleat, & *Trid. Sess. 24. de reform. Matrim. c. 5.* velit eam dispensationem non concedi, nisi *inter magnos Principes*, & ob publicam causam. Similes casus raro dispensabiles videntur fuisse illi, pro quibus Gobat ex Diana allegat sex decisiones Rotæ decernentis invaliditatem Sponsalium sub conditione dispensationis impetrandæ initorum: vel fortè illis deerant justæ dispensandi causæ; vel illæ decisiones non sunt Authenticæ, cum earum mentionem alij Authores non faciant; propter illas tamen censet Gobat non facilè aliquem cogi debere, qui à Sponsalibus, etiam post impetratam dispensationem resiliat.

62. Ad Conf. R. N. Antec.; inutilia enim essent ejusmodi Sponsalia, si pars neutra dispensationem procurare teneretur. Debent autem eam procurare communibus sumptibus, cum sit negotium commune, vel teste Palao pars illa, cujus interest, si altera ad eam procurandam se non obligavit. Videtur autem tacitè Sponsus se obligare, ut docet Sanchez, Laym. alique; præsertim si Sponsa dimidiam partem sumptuum offerret, vel si eam sub spe Matrimonij Sponsus deflorasset, ut notant alij.

63. Ob. 7. Sponsalia dicto modo conditionata, non inducunt impedimentum publicæ honestatis, nec Sponsis dant jus ad honestos amplexus & oscula. Ergo non valent. R. C. Antec. D. Conseq. ergo non valent ut absoluta C. ut conditionata N. jam autem sola absoluta im-  
pedi-

pedimentum illud inducunt juxta *c. Un. in fine de Sponsal. in 6.* Similiter cum ante conditionem impletam non obligent, nec jus dabunt ad ea, quæ aliàs Sponsis concessa sunt; ne sentiat commodum, qui non sentit onus contra *Reg. 55. J. in 6.*

QUÆSTIO VI.

*An valida, & licita sint, consequenter an obligatoria, Sponsalia clandestina?*

*Ex num. 3.*

64. **N**egativam tenent Hæretici cum *Carpzovio in processu Furis tit. II. à I. n. 75.* & pauculi apud *Sanchez l. I. D. 12. n. 1. & Palaum; & Mastrium*: Sed affirmativa vera est. Et I. quidem esse valida, docet *Sanch. l. I. D. 13. n. 1. & 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. I. n. 3. Palaus D. I. de Sponsal. p. 2. 15. Pfafecius in praxi Episcopali, Pirrhing, Ilfing, Canisius, Gobat, Wiestner, Wex, König, Oberascher, Mastrius, Wamesius Consil. 424. apud hos Guttierrez, Pontius, Conink, Tanner, Barbosa, Farinaceus, & pleriq; alij. Prob. I. Lex Tridentini Sess. 24. c. I. de Reform. Matrim. irritans matrimonia clandestina; est correctoria juris communis, idcirco odiosa, & non extendenda ultra casus expressos, adeoque nec ad Sponsalia arg. l. Precipimus 32. C. de Appellat. Quod enim non*

mutatur, quare stare prohibetur, inquit Iustianus *l. Sancimus 27. C. de Testam.* II. In odiosis nomine Matrimonij non comprehenduntur Sponsalia. Ergo per irritationem illius, hæc non irritantur: nam ut sacra Congregatio apud Sanchez, & König, & Ledesma, definit: *Decretum Tridentini habet tantum locum in matrimonio per verba de presenti.* III. Passim clandestina Sponsalia absque Parocho, & omni teste contrahuntur, neque tamen in ullo foro declarantur irrita; neque eadem ratio suadet illorum prohibitionem, quæ loco cit. *Trid.* suadet prohibitionem Matrimonij clandestini: imò sæpe periculosum esset, si cum testibus Parochus adhiberetur, nè contrahentes, etiam contra voluntatem testium, ineant Sponsalia de presenti.

65. Eadem Sponsalia etiam licita esse iidem ferè Authores docent cum Sanchez, ratio: quia nullibi extat præceptum ea prohibens sub culpa. Ergo.


66. Contra 1<sup>am</sup> partem Ob. 1<sup>o</sup>. *Juxta l. Oratio 16. ff. de Sponsal. & l. Si quis tutor 60. §. Quamvis 5. ff. de ritu nupt.* Quæ circa nuptias statuuntur, etiam circa Sponsalia censentur esse statuta. Ergo. *¶* In illis casibus, in quibus eadem ratio est pro Sponsalibus, quæ pro matrimoniis C. in quibus non est eadem, N. Antec. & Conseq. *¶* 2<sup>o</sup>. eadem sunt statuta in favorabilibus C. in odiosis N. Sic *Clem. Un.* excommunicantur contrahentes matrimonium cum consanguinea, non autem contrahentes Sponsalia.

lia. R. 3<sup>o</sup>. eadem sunt statuta, si Sponsalia dirigantur ad matrimonium clandestinè contrahendum, C. si ad publicè contrahendum N.

67. Ob. 2<sup>o</sup>. Prohibito consequente, prohibetur antecedens, seu illud per quod venit ad consequens. *arg. c. fin. de clandest. Despons.* sed Sponsalia sunt antecedens, per quod venit ad matrimonium, ergo. R. D. Maj. Prohibito consequente prohibetur Antec.; si quis velit ad consequens venire prout prohibitum est, ut si quis per clandestina Sponsalia tenderet etiam ad matrimonium clandestinum C. Maj. si velit venire modo non prohibito, nec ad consequens ut prohibitum, sed ut ad licitum N. Maj. & C. Min. D. Conseq. ut Maj.

68. Ob. 3<sup>o</sup>. Matrimonio absolutè prohibito, etiam absolutè prohibentur omnia Sponsalia. Ergo similiter prohibito clandestino, prohibentur Sponsalia clandestina. Resp. C. Antec. N. Conseq. Disparitas est. Quia prohibito omni absolutè matrimonio, nulla Sponsalia possunt adhiberi pro matrimonio (utpote tali casu simpliciter illicito) obtinendo; si autem clandestinum tantum prohibeatur, adhuc poterunt dari Sponsalia pro matrimonio licitè, nempe publicè celebrando; in quantum Sponsi clandestinè sibi promitterent matrimonium non clandestinum, tanquam objectum licitum.

69. Ob. 4<sup>o</sup>. Matrimonia clandestina vetantur, nè quis contrahat cum pluribus. Ergo pariter nè quis cum pluribus Sponsalia inest, clandestina



destina ex eadem ratione prohibenda sunt. R.  
D. Antec. nè contrahat cum pluribus cum qui-  
bus vivat in perpetuis adulteriis, & proles  
spurias procreet C. simpliciter nè contrahat cum  
pluribus, contractu qui hos effectus non ha-  
bet annexos N. Antec. & Conseq. *P. Wag-  
nerek super tit. de Clandestin. Desponsat.*  
plures ponit causas, cur Clandestina matrimo-  
nia prohibeantur, quæ non valent pro Spon-  
salibus.

70. *Objic. 5<sup>o</sup>.* Diæcesis Lausanensis apud  
Gobat, Sponsalia clandestina irritat. Ergo  
non valent. *Resp. D. Conseq.* Ergo non va-  
lent in illa Diæcesi C. alibi, ubi lex irritans non  
extat. N.

71. *Contra 2<sup>am</sup> partem.* Ob. Ex clandesti-  
nitate præsumitur dolus. *Panorm. in c. fin. de  
Clandest. Despons.* & super idem *c. Gonzalez*  
fusè Clandestinitatem improbat atqui dolus est  
illicitus. Ergo & clandestina Sponsalia. *Resp.*  
Præsumitur dolus in tali matrimonio, vel ubi  
extat prohibitio clandestinitatis C. secùs N,  
aliàs nullus contractus clandesti-  
nus esset licitus.



Quæ-

QUÆSTIO VII.

*An matrimonium clandestinum inter pu-  
beres habeat saltèm vim Sponsalium  
de futuro?*

*Ex num. 2.*

72. **A**ffirmativam ipse Sanchez satis probabi-  
lem esse fatetur, Palauus spectato juris  
rigore veriozem putat; eamque tenet, de Spon-  
sal. D. 1. p. 4. n. 8. itèm Laym. l. 5. tr. 10.  
p. 1. c. 1. n. 18. Pignatellus tomo 4. Consult.  
15. citans Hurtadum & Pontium, Sporer &  
alij non pauci.

Negativã tamen prævalet, quam tuetur,  
Sanch. l. 1. D. 20. num. 4. Barbosa de Offic.  
& Potest. Episc. allegat. 51. n. 181. contra  
Bonacin. & Gonzalez, in c. ult. de Desp.  
impub. Pirrhing super tit. de Consanguin.  
n. 62. Illung Tr. 6. D. 9. n. 8. dicens (&  
ante eum Barbosa) id expressè declaratum esse à  
Congregat. Cardin. in decr. Trid. de Matrim.  
Gobat de Sponsal. num. 78. Piasec. in praxi  
Episc. p. 2. c. 4. num. 9. Zoësius, Vallensis,  
Engel, Wex, Wiestner, König; apud hos  
Bartolus, Francus Menochius, Navarrus,  
Lopez, Guttierrez, Conink, Rebellus, Tan-  
nerus, Vega & c.

73. Prob. 1<sup>o</sup>. Tridentinum Sess. 24. c. 1.  
de Reform. Matrim. ad sic (hoc est clandestinè)  
contrahendum omnino inhabiles reddit, &  
hujus-

*hujusmodi contractus, irritos, & nullos esse decernit, prout eos presenti decreto irritos facit & annullat.* Atqui contractus irritus, & nullus simpliciter, & inter personas omnino inhabiles, nec Sponsalia constituit (prout talem praxim, & consuetudinem Ecclesiae esse testatur ipse Palaus) ergo contractus matrimonij clandestinus nec Sponsalia constituit: nam, ut ait Barbosa, haec nullitas proveniens ex defectu Parochi, & testium, est irremissibilis, & nullo alio modo suppleri potest, nec contrahentium consensu validari. 2<sup>o</sup>. Actus gestus contra legem prohibentem substantiam actus, est planè nullus, nullamque producit obligationem. *l. non dubium §. C. de LL. & l. hac consultissima 21. §. 1. C. de Testam.* & sic juxta Gonzalez inutile testamentum, nec vim Codicilli habet, *l. 1. ff. de Jure Codicill.* Atqui Matrimonium clandestinum est talis actus: Ergo est planè nullus, & propter resistantiam juris, nec vim Sponsalium habet, quamvis esset juramento confirmatus, ut notat Sanchez, Wiestner, & alij; juxta *Reg. J. Non est obligatorium §. c. 58. in 6. §. c. Si diligenti 12. de foro Compet.* Nisi contrahentes distinctum contractum adderent, quo expressè vellent esse Sponsi saltè de futuro, casu quo eorum matrimonium sit irritum. 3<sup>o</sup>. Sic contrahentes puniendi sunt, nec vi hujus contractus obligantur ad perseverandum, aut de novo contrahendum; neque in foro externo promissis stare coguntur; ut ipse Laymann. fateatur. Ergo est contractus in omni ratione invalidus.

du:  
co:  
co:  
ru:  
pu:  
  
Im:  
lic:  
vir:  
rib:  
Q:  
ha:  
In:  
fa:  
ca:  
be:  
pu:  
qu:  
co:  
ft:  
pe:  
  
n:  
ti:  
m:  
t:  
f:  
c:  
p:  
t:  
t:

aus. Unde teste ipso Palao tali matrimonio nulla conceditur actio, quamvis ea pro Sponsalibus concedatur Matrimonio clandestino impuberum: ostendit nimirum Ecclesia se clandestinum puberum contractum omnino detestari.

74. Ob. 1<sup>o</sup>. Juxta *cap. Un. de Desponsat. Impub. in 6.* Impuberum Sponsalia de præsentī, licet non valeant ut matrimonium, habent tamen vim Sponsalium de futuro. Ergo idem de puberibus dicendum. R. C. Antec. N. Conseq. Quia impuberes nullibi declarantur omnino inhabiles, aut contractus eorum irritus, & nullus. Imò *cap. cit.* expressè dicitur habere vim Sponsalium; adeoque illi jus non resistit; nec claudicat ex parte formæ substantialis; contractus puberum autem caret forma substantiali, hoc est publicitate essentialiter à Tridentino requisita, quod nihil statuit circa impuberes, ita ut eorum contractus antiquum jus servant, & certè frustra formam Matrimonij illis præscripsisset, utpote aliunde adhuc Matrimonij incapacibus.

75. Repl. Impuberes contrahentes clandestinè habent duplex impedimentum, nempe ætatis, & clandestinitatis, & tamen eorum matrimonium habet saltèm vim Sponsalium. Ergo cum puberes solùm clandestinitatis impedimentum habeant, à potiori illorum contractus erit saltèm sponsalitus. R. N. Antec. Cùm enim circa impuberes Tridentinum nihil statuerit, non potest clandestinitas apud eos esse impedimentum simpliciter contractum irritans: Oppositum statuit de puberibus, quorum clandestinum

con-



contractum Sponsalium de præfenti ita annullavit, ut nec vim Sponsalium habeat; ut habetur in declaratione S. Congregat. à diversis Authoribus citata, Episcopo Patavino data; & *sub c. 1. Trid. Sess. 24. de Reform. Matr.* inter declarationes Gallenartij relata.

76. Ob. 2. Contractus Sponsalitus de futuro, virtualiter involvitur in contractu Matrimonij, qui enim se conjungunt in perpetuum, certè conjungi volunt in futurum, & qui tradunt corpus, etiam volunt tradere jus ad illud, & hæc præsumitur esse intentio contrahentium. Ergo saltè vim Sponsalium habet, juxta communem Regulam: *Si actus non valet, sicut agitur, valeat eo modo, quo valere potest. c. Un. de Despons. Impub. in 6. §. 1. Si tam augusti 13. ff. de Servitut.* Conf. Juxta complures apud Sanchez, Professio Religiosa ante annum 16. emissa, adeoque irrita, habet nihilominus vim voti simplicis. Itè acceptilatio jure civili invalida, habet saltè vim pacti simplicis. *l. Si unus 27. §. ult. D. de Pactis.* Ergo à pari.

77. R. D. Antec. Involvitur in contractu Matrimonij &c. cujus forma subsistit (matrimonij irriti ex defectu formæ N. Antec. Unde nihil agit contrahentium intentio, ut dictum est prob. 1. ex Barbosa: cum ea non possit dare formam contractibus. Præterea intentio est purè humana, contractus humanus pro sui substantia etiam requirit præsentiam Parochi, & testium. Unde patet responsum ad Conf. quia nempe votum fit DEO, qui cor inspicit, adeoque valet, modò adfit

adsit intentio se obligandi. Ad 2<sup>m</sup>. R. Licet id Gonzalez admittat, negat tamen melius glossa ex l. *An inutilis* 8. ff. de *Acceptilat.* nisi partes expressè velint, ut inutilis acceptilatio saltèm vim nudi pacti habeat. Disparitas insuper est, quia nullibi acceptilatio simpliciter irritatur, sicut contractus Matrimonij clandestinus inter puberes.

78. Repl. Clandestinitas non obest Sponsalibus juxta Quæst. præced. ergo si contractus Matrimonij de cætero continet virtualiter Sponsalia, adhuc horum vim habet. Conf. Ex tali matrimonio oritur impedimentum publicæ honestatis, juxta dicenda Q. Seq. Ergo non est irritum quoad omnem effectum, ergo saltèm vim Sponsalium habet.

79. Resp. Clandestinitas annexa Sponsalibus de futuro, non obest C. annexa Sponsalibus de præsentis N. Nam hæc simpliciter facit irrita & nulla; ità ut omnem vim contractus humani perdant ob defectum formæ substantialis. Ad Conf. R. C. Antec. D. Conseq. ergo non est irritum quoad effectum obligationis mutue inducendum, consistentem formaliter in contractu N. quoad effectum alium quem jura concedunt contractui etiam irritato in ratione contractus, dummodo consensus internus non desit C. Conseq. 1<sup>am</sup>. & N. alteram. Quia nempe impedimentum illud oriebatur olim ex Matrimonio undecunque irritato, dummodo consensus non deficeret, & nihil circa illud renovatum est


K

per

Per Tridentinum , ideo adhuc perseverat : licet in Matrimonio clandestino ex defectu formæ substantialis ab illo præscriptæ , cesset ratio humani contractûs requisiti ad Sponsalia.

80. Ob. 3<sup>o</sup>. Tridentinum contrahentes solùm inhabiles reddit ad Matrimonium , si illud clandestinè contrahant. Ergo non irritat contractum purè sponsalium. Conf. Jus antiquum irritando Matrimonium impuberum, non irritavit per hoc eorum Sponsalia , in illo Matrimonio inclusa. Ergo pariter Tridentinum irritando puberum Matrimonium Clandestinum , non irritavit Sponsalia in eo inclusa.

81. Resp. D. Antec. explicitè solùm ad Matrimonium inhabiles reddit C. implicitè N. Nam talem contractum vult omnino & simpliciter esse irritum. Ad Conf. Respons. N. Conseq. quia jus antiquum expressè illa Sponsalia approbat : Tridentinum autem puberum Matrimonium simpliciter in ratione contractûs irritat. Ergo non manent Sponsalia utpote rationem contractûs essentialiter involventia.



QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

An ex Matrimonio clandestino pube-  
rum oriatur impedimentum publicæ  
honestatis?

Ex num. 5. § 17.

82. **N**Egat hoc Sanchez l. 7. de Matr. D.  
70. n. 13. Barbosa de Offic. & Potest.  
Episc. alleg. 51. n. 181. Pirrhing super tit.  
de Consanguin. § c. n. 62. Vallengis, Engel,  
& alij. Sed vera videtur affirmativa, quam am-  
plectitur Gonzalez super c. 4. ad audient. de  
Sponsal. Pignatellus tomo 4. Consult. 15. n. 3.  
Prosper Fagnanus. in c. ad Audientiam de  
Spons. Castro Palaus D. 4. p. 10. num. 5. P.  
Wiestner, Wex, König, Mastrius, aliq;  
citantes Pontium, Farinacium, Gutierrez,  
Rebellum, Aversam, Tancredum, Hurta-  
dum & c. Prob. 1<sup>o</sup>. Ex Constitutione Pij V.  
ad Romanum, dicentis in matrimonio contracto  
durare adhuc impedimentum in omnibus  
illis casibus, & gradibus, quibus de jure ve-  
teri ante predictum decretum Concilij in-  
troducendum erat. Citant hanc passim Autho-  
res, & habetur lib. 7. Decretal. de Matrim.  
& Sponsal. c. 2. Item in Remissionibus ad c. 3.  
Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. Matrim.  
Atqui de jure veteri impedimentum hoc ex ma-  
trimonio Clandestino oriebatur. Ergo & jam  
oritur. Confirmatur ex declaratione Cardina-

lium à Pignatello, & Gallemart citata, quæ sic sonat: *Præsupposita declaratione per constitutionem SS. D. N. Pij V. super hoc decreto, censuit Congregatio oriri impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus per verba de præsentibus, etiam nulliter contractis, omis- sâ formâ decreti Concilij Tridentini c. 1. hujus Sess. 24. Et constat ex capitulo ad audientiam, de Sponsalibus, ubi existente matrimonio nullo propter impedimentum consanguinitatis oritur publicæ honestas &c.* hanc declarationem tam expressam non innotuisse Patri Sanchez & Engel oppositum docentibus, censet *P. Wex in suo Opusc. Canon. Trid. de Sponsal. Prob. 2º. Ex capit. unico de Sponsal. in 6. circa quod Tridentinum nihil innovavit, impedimentum publicæ honestatis ibi solum ex matrimonio irrito non oritur, ubi ejus nullitas provenit ex defectu consensûs interni, & naturalis, atqui matrimonij clandestini nullitas non provenit ex defectu consensûs interni, & naturalis, sed ex defectu solennitatis, & præsentia Parochi. Ergo ex illo adhuc oritur prædictum impedimentum.*

83. Ob. 1º. *Cap. un. de Sponsal. in 6.* Solum loquitur de Sponsalibus, non autem de matrimoniis, ubi ait ex illis, licet irritis, oriri impedimentum publicæ honestatis, dummodo non fuerint irrita, ex defectu consensus. Ergo ex matrimonio quomodocunque irrito, tale impedimentum non oritur. R. Cum Gonzalez statuta illius capituli communiter à Doctoribus, & quidem

quidem à potiori extensa fuisse ad matrimonium ratum: pro quo etiam stat declaratio pro Conclusionem citata; cum ergo Tridentinum quoad hoc impedimentum, prout ex matrimonio ortum, nihil innovaverit; sequitur illud etiamnum provenire ex matrimonio irrito, dummodo irritum non sit ex defectu consensûs.

84. Ob. 2. Matrimonium clandestinum est nullum ex defectu consensûs. Ergo non parit impedimentum. Antec. prob. *Consensus* clandestinus juxta Trident. est irritus, & nullus. Ergo. R. N. Antec. Ad ejus probat: N. Antec. Nam Tridentinum tantum irritat humanum *contractum*, qui præter consensum seu internam voluntatem se obligandi dicit externam consensûs explicationem; & talem contractum irritat, consensu naturali adhuc integro manente, si absque præsentia Parochi, & testium celebretur.

85. Ob. 3. Juxta *Trid. Sess. 24. c. 1. de Reform. Matr.* Impedimentum publicæ honestatis non oritur amplius ex Sponsalibus quâcunque ratione invalidis; ergo nec ex matrimonio irrito. R. C. Antec. N. Conseq. Quia Tridentinum circa hoc, quoad matrimonium nihil immutavit, ita ut impedimentum publicæ honestatis adhuc oriatur usque ad quartum gradum ex irrito matrimonio, modò non sit irritum ex defectu consensûs, ut patet ex ejus declarationibus.

86. Ob. 4. Nullitas proveniens ex defectu Parochi, & testium, est irremissibilis, insupplebilis, nec contrahentium consensu validari potest, ut loquitur *Barboza* <sup>1. c. 1. de Reform. Matr.</sup> Ergo nec impe-

dimentum inducit. R. Ex hoc tantum sequi, quod non valeat in ratione contractus, sive Sponsalitij, sive Matrimonialis, non verò quod ipsi desit consensus impedimenti inductivus.

## QUÆSTIO IX.

*An ex Matrimonio publicè quidem, sed fictè celebrato, vel ex Sponsalibus apparenter tantum validis oriatur impedimentum publicæ honestatis?*

*Ex num. 17.*

88. Sanchez cum multis ab eo citatis, respondet affirmativè l. 7. D. 68. n. 14. Gonzalez in c. Ad audientiam 4. de Sponsal. Zoësius super tit. de Consanguin. Sc. n. 12. Vincentius de Fustis apud König, Pontius apud Ilfung. Probabilior tamen videtur negativa, quam tenet Palauus de Sponsal. D. 4. p. 10. n. 7. Pirrhing super tit. de Sponsal. n. 39. Gobat Tr. 9. Theolog. Experim. de Sponsal. n. 368. Ilfung Tr. 6. D. 9. n. 105. Wiestner de Canon. Imped. p. 2. a. 11. n. 15. König de Sponsa duor. n. 9. apud hos Navar., Hurtadus, Ledesma, Bonacinna, Conink, Rebelius aliq. apud Sanchez. Prob. Cap. un. de Sponsal. in 6. clarè dicitur non contrahi impedimentum publicæ honestatis, si sint nulla ex defectu consensus, quod Capitulum ipso Gonza-

lez teste, Doctores extendunt ad matrimonium  
 ratum. Itè *Trident. Sess. 24. c. 3. de Re-*  
*form. Matr.* Universaliter, & absque exceptio-  
 ne occulti impedimenti; nullaque factâ inter ex-  
 ternam, & internam; notam, vel occultam nul-  
 litatis causam distinctione, negat hoc impedi-  
 mentum contrahi ex Sponsalibus *quâcunque*  
*ratione* invalidis, ergo non est Concilium, aut  
 jus universaliter loquens, limitandum, propter  
 indecentiam falsò existimatam; saltèm, ut inquit  
 Illung, pro foro conscientia, pro quo requiri-  
 tur, ut impedimenta verè sint talia, qualia de  
 jure statuuntur, non ut sint tantùm apparenter  
 talia. 2<sup>o</sup>. Publica honestas est quædam quasi  
 affinitas ex animorum conjunctione per verum  
 consensum, orta; ergo ubi hæc conjunctio de-  
 est, licèt adesse putetur, etiam aberit impedimen-  
 tum; sicut abest impedimentum veræ affinitatis,  
 ubi copula carnalis non intercessit, licèt erroneè  
 putaretur intercessisse. 3<sup>o</sup>. Ex Sponsalibus vali-  
 dis, licèt occultis, & nulli manifestatis, verè  
 oritur inter Sponsos secum clàm contrahentes im-  
 pedimentum illud, ergo à contrario (& quidem  
 à potiori, cùm Sponsi absque certitudine impe-  
 dimentis onerari non debeant) non orietur ex in-  
 validis, quamvis valida crederentur.

89. Ob. 1<sup>o</sup>. Non minùs scandalosum est, &  
 sic publicæ honestati contrarium, si quis cum  
 suæ putatiæ Sponsæ, aut uxoris Sorore Matri-  
 monium contraheret; quam esset scandalosum,  
 si matrimonium, aut Sponsalia fuissent vera. Ergo  
 talis habet impedimentum. Conf. Hoc impedi-



mentum est institutum ad vitanda scandala. Atqui in casu præsentis non impedirentur; ergo.

90. Resp. Non minùs scandalosum est per accidens, & ex errore hominum C. per se, & scandalo fundato in veritate N. Antec. & Conseq. etiam scandalosum est, contrahere cum ea, quam alij putant affinem esse, vel consanguineam; neque tamen ea affinitas apparens inducit impedimentum, quamvis tale scandalum, si facile possit, caveri debeat. Præterea negari potest secunda pars Antecedentis: nam publica honestas non significat præcisè hominum æstimationem, *sed animorum conjunctionem* per Sponsalia, quæ verè, & non tantùm apparenter, præsuppositâ, Ecclesia indecens esse judicat matrimonium contrahere cum personæ sic conjunctæ consanguinea. Ad Conf. R. Est institutum ad vitanda scandala per se oritura, ut si quis contraheret cum consanguinea veræ Sponsæ, vel uxoris per mutuum consensum delectæ C. Antec. ad vitanda scandala per accidens N. Antec. & Conseq. Nam propter scandalum hominum ex erroneo eorum judicio conceptum, non sunt Sponsi impedimento gravandi. Resp. 2<sup>o</sup>. Hoc impedimentum non esse institutum præcisè ad vitanda scandala, aliàs illud non oriretur ex Sponsalibus validis quidem, sed occultis: quia tali casu Sponsus contrahens cum Sorore suæ Sponsæ, nulli daret scandalum.

91. Ob.

91. Ob. 2<sup>o</sup>. *Cap. Un. de Sponsal. in 6.*  
 & *Tridentinum* citatum, multi Authores  
 apud Sanchez sic intelligunt, quòd Sponsalia  
 in *foro externo* invalida, vel Matrimonia ex  
 defectu *externi consensûs* irrita, non pari-  
 ant impedimentum. Ergo si in foro externo  
 subsistant, parient impedimentum. Resp.  
 Cum pluribus Authoribus juxta rationes con-  
 clusionis, jura sic intelligi, & ad improprium  
 sensum detorqueri non posse, in grave onus  
 contrahentium. Dico in sensum improprium:  
 nam consensus propriè dicit actum internum,  
 & quod huic accedit, est tantum explicatio  
 actûs interni, unà cum hoc constituens ratio-  
 nem contractûs, juxta dicta num. 85. Resp.  
 2<sup>o</sup>. Dissimulato Antecedente, D. Conseq. Ergo  
 si in foro externo subsistant, parient impedi-  
 mentum apparenter, & in foro externo; hoc  
 est Judex, qui de internis judicare non potest,  
 judicabit, talem Sponsum impeditum à con-  
 trahendo Matrimonio cum suæ Sponsæ Sorore  
**C.** pariet impedimentum verè, & in  
 conscientia N.



## QUÆSTIO X.

*An impedimentum publicæ honestatis sit  
perpetuum, ita ut nec desinat Spon-  
salibus mutuo consensu  
dissolutis?*

*Ex num. 17.*

92. **N**egativam sequitur *Barbosa de Offic. & potest. Episc. allegat. 51. n. 188. Gonzalez super cap. 4. de Sponsal. multique alij clari nominis Authores. Sed præponderat affirmativa. Hanc tenet Sanchez l. 7. D. 68. n. 20. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 9. n. 3. Pignatellus tomo 5. Consult. 50. Piasecius in praxi Episc. p. 2. c. 4. n. 19. Mastrius citans Tancredum, Aversam, Brancatum, Fagnanus in c. 4. de Sponsal. Sporer, Wiestner, Oberascher, König, & fusè P. Wex in suo Opusculo Canon. Trident. multis pro hac opinione citatis. Prob. 1º. Impedimentum publicæ honestatis non est introductum per mutuum consensum contrahentium, sed autoritate Ecclesiæ. Ergo nec mutuo consensu tolli potest; & cum certò sciatur introductum, non poterit per conjecturas, aut rationes purè probabiles è sua possessione moveri. Conf. Ex nullo textu constat, quòd voluntas Legislatoris impedimentum hoc statutis, dependeat à perseverantia consensûs contrahentium, ut eo pereunte pereat; sicut v. g. constat ex cap. un. de cognat. legali, quòd im-*  
pedi-

pedimentum ex hac cognatione ortum, tollatur per emancipationem. Ergo. Prob. 2. Sponsalia etiam non revocata, magis dissolvuntur per mortem, quam per mutuum consensum (unde mors etiam matrimonium dissolvit, ut det superstiti jus ad secundas nuptias, quod tamen efficere non potest mutuus consensus Conjugium) & tamen mors non tollit publicæ honestatis impedimentum: *c. si quis & seqq. XXVII. q. 2.* ergo nec illud tollet dissolutio Sponsalium per mutuum consensum. 3<sup>o</sup>. *In cap. Accessit 5. de Desponsat. Impub.* refertur exemplum Sponsalium, mutuo consensu dissolutorum, nec tamen sublatum est publicæ honestatis impedimentum, ut decidit Pontifex. ergo. Nec obstat quod ea Sponsalia intercesserint inter impuberes, & dissoluta sint ex eo, quod fortè una pars tantum resilierit: nam ratio quam ibidem assignat Pontifex, valet pro quibuscunque Sponsalibus, etiam mutuo consensu dissolutis; ait enim: *Inhonestum videtur, ut matrem habeat, cujus filia fuit sibi desponsata.*

93. Ob. 1<sup>o</sup>. Impedimentum publicæ honestatis fundatur in mutuo consensu. Ergo per eundem tollitur. *c. Omnis res 1. de R. J. l. Nihil 35. ff. de R. J.* R. I. Etiam per mortem cessat mutuus consensus, licet non revocatus, aliàs superstes conjux non auderet transire ad secundas nuptias; & tamen non cessat illud impedimentum. R. II. Fundatur in consensu, ut fiat primâ vice C. ut semel introductum perseveret N. sic etiam matrimonium fundatur in mutuo  
con-

consensu ; neque tamen per eum dissolvitur. Ratio ulterior est : quia semper verum manet , aliquem jam semel fuisse desponsatum. Ergo juxta *c. Accessit , de Despons. Impub.* semper inhonestum videtur , ut Sponsæ consanguineam in primo gradu ducat. *R.* III. Fundatur per accidens ex libera dispositione Ecclesiæ , volentis illud esse perpetuum *C.* fundatur per se , tanquam proprietas in sua radice *N.* Antec. & Conseq.

94. Ob. 2<sup>o</sup>. Cum Gonzalez. Qui moritur , si contractum non revocet , censetur in illo moraliter perseverare , & cessare si eum revocet. Ergo mirum non est , quòd in Sponso post mortem compatis perseveret impedimentum , si Sponsalia non erant mutuo consensu dissoluta. Ergo ex opposito illud cessat : si Sponsalia mutuo consensu sublata sunt. Antec. prob. *arg. l. 4. in princ. ff. de Manumis. Vindicta. §. l. Quæsitum 8. §. Quod à Titio. 1. & l. Cum precario 12. ff. de precario , c. 7. v. Nequaquam de Offic. Judic. Deleg. R. D.* Anteced. censetur in illo perseverare , & è contra cessare contractus revocatus , si ille unicè dependeat à voluntate contrahentis , quales contractus in adductis juribus allegantur , *C.* Si non dependeat à voluntate contrahentium , sicut non dependet in esse impedimentum publicæ honestatis , licèt aliquomodo ab ea dependeat in fieri *N.* Antec. & utramque Conseq.

95. Ob. 3<sup>o</sup>. Ex *Tridentino Sess. 24. c. 3. de Reform. Matrim.* Non datur impedimentum publicæ honestatis, ubi Sponsalia sunt *ex quacunque ratione* invalida, atqui per mutuum consensum dissoluta, sunt aliquâ ratione invalida. Ergo. Resp. D. Maj. Ubi sunt quâcunque ratione invalida in fieri, & primâ vice C. ubi semel valida, cessant esse valida N. Maj. ut patet ex ratione quam allegat Pontifex *in cap. Accessit. cit.* Aliàs etiam post mortem compartis, vel impedimento aliquo v. g. ligaminis, Ordinis &c. superveniente, & Sponsalia extinguente, cessabit impedimentum publicæ honestatis.


96. Ob. 4<sup>o</sup>. Sponsalia sunt quid principale, impedimentum est accessorium; atqui sublato principali perit accessorium. Ergo sublatis mutuo consensu Sponsalibus, perit impedimentum publicæ honestatis. Hoc argumentum probaret illud pariter perire, quocunque modo Sponsalia dissolvantur: vel Sponsalibus, aut matrimonio per mortem dissoluto, vel per ingressum in Religionem cessare in parte superstite quodlibet impedimentum. In forma Resp. N. Antec. nam impedimentum illud non est propriè accessorium ex natura rei cum Sponsalibus connexum; sed libera voluntate Ecclesiæ introductum, adeoque per ejus solius revocationem, vel dispensationem auferibile.

97. Ob.

97. Ob. 5<sup>o</sup>. Sacra Congregatio Cardinalium declaravit, sublati per mutuū consensum Sponsalibus, etiam perire publicæ honestatis impedimentum. Ergo. Resp. 1<sup>o</sup>. ex Pignatello cit. In declaratione, quæ ab Adversariis jactatur, tantum hoc dici, quod Sponsalia per mutuū consensum verè dissolvantur; & fiant invalida; ita ut non habeant indissolubilitatem, sicut matrimonia; & quidem juxta Brancatum apud Mastrium invalida tantum fiunt, quoad effectum prohibendi secunda Sponsalia: non verò tollendi impedimentum publicæ honestatis, obstant nuptiis cum consanguinea prioris Sponsæ. Resp. 2<sup>o</sup>. Illam declarationem esse apogrypham; cui veriores duas opponit Pignatellus, nostram sententiam approbantes: celebrior est illa, & teste Mastrio in praxi recepta; ab Aversa in Curia Romana bene versato, à Fagnano Juris Consulto Romano, à Lugone, Sporer, P. Wex, König, Oberascher &c. citata, quæ prodiit sub Alexandro VII. & omne dubium abstulit, ita ut P. Wex sententiam oppositam, nec amplius probabilem esse existimet, eamque prius doctam revocaverint in suis scriptis Bonacina, Gobat, & Tamburinus.

98. Hic opportunè P. Wex notat ex Fagnano: ut declaratio Congregationis sit authentica, hæc tria requiri. 1<sup>o</sup>. Ut fiat consulto, & approbante Pontifice. 2<sup>o</sup>. Ut sit in re præcisè ad mores, non verò ad fidem pertinente.

3. Ut



3<sup>o</sup>. Ut expediatur in forma authentica, hoc est cum sigillo Congregationis & subscriptione Cardinalium, & Secretarij Congregationis.

99. Resp. Ante notitiam præfatæ declarationis authenticæ, multi post dissoluta mutuo consensu Sponsalia iniverunt cum prioris Sponsæ confanguineis matrimonia, & hæc erant valida. Ergo in illis non perseveravit impedimentum publicæ honestatis. Resp. D. ultimam partem antecedentis: Erant valida per accidens, vel ex dispensatione tacita C. erant valida per se, aut sinè dispensatione N. Antec. & Conseq. Nam ut arguit Sporer ex Gobat; ille agit legitimè, & validè, qui se bona fide conformat legi existimatæ, quam putat existere; illi autem se sic conformârunt, putabant enim extare declarationem genuinam, negantem in prædictis perdurare impedimentum. Ergo. Præterea ipso facto Ecclesia dispensare solet cum Conjugibus in impedimentis à se statutis, si illi verè probabilem Sententiam secuti, bonâ fide processerunt, ut fusè & solidè probat *Cardenas Dissertat. 2. art.*

3. à num. 529. *Crisis  
Theologica.*



PARS



## PARS III.

### §. I.

#### De Dissolutione Sponsalium.

I. **Q**UAMVIS Matrimonij consummati contractus ex institutione Divina, ob reverentiam Sacramenti, significantis perpetuam conjunctionem Christi cum Ecclesia, in ratione vinculi indissolubilis sit; Matrimonium ratum autem inter Christianos, sit solum solubile per professionem Religiosam ( *c. ex publico 7. de Convers. Conjug. Trid. Sess. 24. de Sacr. Matr. can. 6.* ) vel juxta communio-rem sententiam apud Sanchez l. 2. D. 14. n. 2. Pirrhing de Sponsal. n. 142. Wagnerek super c. Licet. 3. de Sponsa duor. per dispensationem Pontificis; nihilominus Sponsalia de futuro multis modis dissolvuntur. Alij apud Gobat de Sponsal. n. 245. tales modos 10. alij 12. alij 16. vel 17. recensent; alij plures ad pauciores reducunt.

2. Non est dubium quin Sponsalia dissolvantur 1<sup>o</sup>. per Sponsi, aut Sponsæ mortem, vel per non impletam conditionem; si Sponsalia erant conditionata, juxta dicta parte 2. n. 9. 2<sup>o</sup>. Per aliquod impedimentum dirimens super indutum; aut de novo innotescens, v. g. affinitatis. Ratio hujus est, quia tali casu matrimonium, nec erit licitum; nec validum. Ergo nec ad illud

con-

contrahendum, poterunt Sponsalia obligare: *Sancti. l. 1. D. 56. n. 1. ut patet ex c. Veniens ad nos, 2. § c. Ex literis 8. de eo qui cognovit &c.* Nisi impedimentum pars malitiosè incurrisset, v. g. per fornicationem, quo casu juxta electionem innocentis, obligaretur; vel ad damna huic resarcienda; vel ad petendam dispensationem, præsertim si innocens ex non impletis Sponsalibus grave damnum pateretur, vel dispensatio faciliè sperari posset. *Sancti. l. c. n. 4. Engel ad tit. de eo qui cognovit § c. König de Sponsal. n. 68.* & apud hunc *Coninck & Bonacini.* Impedimenta purè impediencia ferè abrogata sunt juxta dicta *p. 1. n. 18.* excepto voto de quo dicitur *n. 9.* & Sponsalibus, de quibus *n. 11.* Tempus autem feriatum, Ecclesiæ interdictum, & omissio denuntiationum nihil officiant Sponsalibus, ut per se patet. Ligamen seu matrimonium actuale, sic impedit Sponsalia. ut eo durante concessum non sit conjugi pacisci de novo matrimonio contrahendo post mortem Conjugis, quia tale pactum contra bonos mores est, adeoque irritum. *Layman. super cap. Bonæ 36. de Elect. § lib. 5. Theol. Moral. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 7.* & ibi *Abbas, Lancelotus, Sanchez.*

3. Hic opportunè notandum venit, ut faciliùs impediatur peccata, & alia mala, ex irrito matrimonio oriri solita; quòd pro impediendo matrimonio contrahendo, sufficiat etiam semiplena probatio impedimenti dirimentis, quæ fit  
 1º per famam publicam *c. 2. de consanguin. & affini.*

L

affini.

*affini*. probatam saltē per unum testem fide dignum. *c. Cū in tua* 27. *de Sponsal.* & *Matrim.* ea tamen elidi potest per probationes contrarias. *Sanct. l. 1. D. 71. Pirrhing, König, &c.* Ex fama privata ( nisi sit notoria ) vel ex publica non satis Judici probata, potest hīc ulterius quidem in veritatem inquirere, & nē partes ad matrimonium procedant, monere, non tamen compellere ad desistendum. *Pirrhing de Sponsal. n. 157. ex cap. Cū in tua cit.* 2<sup>o</sup>. Probatio semiplena, & tamen hīc sufficiens, fit, etiam per unum testem; licet non citatum; sed tantū oblatum, & quamvis ( quod aliās in teste legitimo requiritur ) nec jurasset in præsentiā partis, nec nomen ei suum publicasset; aut propriam suam turpitudinem accusaret; dummodo deponat coram Judice tanquam testis, nec sit persona vilis, & juret Judici de certa scientia impedimenti. *Sanchez, Pirrhing, Wagnerek & alij ex cap. Præterea 11. de Sponsal. c. super eo. 22. de Testibus.* Hīc tamen aliqui *arg. cap. Præterea cum Gonzalez in c. 12. de Sponsal. Pirrhing & Abbate* excipiunt Sponsalia jurata, pro quorum executione impedienda, ajunt non sufficere semiplenam probationem impedimenti, ut evitetur periculum perjuri; sed oppositum melius probat *Sanchez l. 1. D. 71. n. 8.* modo testis sit integer.

Bene tamen idem *num. 7.* monet, quando agitur de matrimonio impediendo, non propter impedimentum dirimens, sed ex alia causa, non afferente periculum peccati, si matrimonium.

monit  
prop  
cere p  
admit  
Laym  
ens 1

4.  
contra  
tracti,  
impec  
affin.  
& re  
accus

5.  
(de I  
per m  
sensur  
doctr  
in c. 2  
fert.

quit  
c. 39.  
contr  
riā  
quib.  
causa  
Reg.

gener  
est. l.  
tractu  
cui Sp  
Præte

monium contrahatur; ut si impediendum esset propter fornicationem partis, eo casu non sufficere probationem semiplenam; hæc enim non admittitur saltẽm ordinariẽ in præjudiciũ tertij. *Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 12. ex c. Ventens 10. & c. licet 23. de Test.*

4. Hactenus dicta concernunt matrimonium contrahendum, nam pro dissolutione semel contracti, requiritur probatio plena nullitatis, vel impedimenti dirimentis. *c. 2. de Consanguin. & affin. c. super eo 22. de Testibus c. fin. de Sent. & re judic. & tradi solet in Tit. Qui Matr. accus.*

5. Tertiõ dissolvuntur Sponsalia Puberum (de Impuberibus dictum est parte 1. n. 19.) per mutuum, liberum, & non coactum consensum, seu potius dissensum. Est communis doctrina Theologorum in 4. d. 27. & Canonist. in c. 2. de Sponsal. & aliorum, quos latè refert. *Sanct. l. 1. de Sponsal. D. 52. n. 6. inquit Suar. t. 2. de Virt. Relig. l. 2. de Juram. c. 39. n. 9. nam obligationes, quæ consensu contrahuntur (excepto matrimonio) contrariã voluntate dissolvuntur. §. Ull. Instit. quib. mod. toll. oblig. & omnis res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. 1. Reg. 7. & nihil tam naturale est, quàm eõ genere quidquam dissolvi, quo colligatum est. l. Nihil 35. ff. de R. J. Paritas est in contractu Societatis sic dissolubilis. l. 4. ff. pro socio, cui Sponsalia comparantur. c. 2. de Sponsal. Præterea, ut super hoc cap. Wagnerek notat;*

Actus non operantur ultra *intentionem agentium*, Sponsi autem non intendunt se obligare, nè possint resilire, si utrique collibitum sit.

6. Neque obstat *cap. 2. cit.* juxta quod Sponsi *omnibus modis inducendi sunt, ut prestitam fidem servent*; nam illud tantum monet, ne temerè, vel sinè causa, vel unus cum molestia alterius, simpliciter quidem, sed tamen ad instantiam importunam cum difficultate, & quasi coactè consentientis, resiliat: unde in multis locis, teste *Laymanno l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 1.* consuetudo est; si Sponsalia coram Parocho celebrata fuerint, ut eorum dissolutio non permittatur, nisi causâ prius ad Episcopum delatâ; imò in Diœcesi Constantiensi, nè publicorum dissolutio propria autoritate fiat, sub casu reservato prohibetur. *Gobat de Sponsal. num. 263.* Extra has prohibitiones, licita est dissolutio, utrique voluntaria, & libera; quamvis aliquam levitatem, & inconstantiam denotet, quam Pontifex in citato *cap.* dicit in patientia tolerari posse. Imò si sinè causa fiat, arguit *Gobat (ex eodem cap. & ex communi hominum sensu, culpam in hoc aliquam timentium)* esse saltèm peccatum veniale. Cœterum *Pignatellus tomo 9. Consult. 134.* refert; Sacram Congregationem declarâsse, etiam mutuo consensu dissolvi Sponsalia, quamvis per culpam carnalem essent confirmata; cum enim per hanc non amplius transeant in matrimonium sicut olim, nec aliunde indissolubilitas desumi possit, non restat ratio, quæ probet dissolutionem hanc esse illicitam, sal-

tèm

tēm graviter: nisi fortē grave damnum prolis aliud suaderet, ut insinuabitur ex Lugone *ad finem Quæst. IV.*

7. Prædicto modo, seu mutua voluntate dirimi possunt etiam jurata Sponsalia, ita cum Sanchez *l. c.* plerique: Quia, ut ait *Vallensis ex Covarr. & Canis.* quotiescunque juramentum in favorem alicujus est præstitum, id ab eodem remitti potest. *arg. c. 1. de Furejur. 2.* Quia juramentum tanquam accessorium sequitur naturam contractus, in quo semper ea conditio includitur, nisi mutuo consensu dissolvatur. *arg. c. Quemadmodum 25. de Furejur. 3.* Quia tali casu subtrahitur juramento materia, adeoque cessat obligare. Quamvis juramentum, aut etiam votum primariò in honorem DEI factum esset; ut si dives jurasset ex pietate, in DEI honorem ducere pauperem: quia etiam hic conditio subintelligitur: si ipsa velit. Ita plurimi cum Sanchez. Suarez hoc concedit; si puella positivè obligationem diviti remittat; non verò, si tantum non resistat. *l. cit. n. 13. Gobat* limitat; si non uterque ex pietate, & primariò in DEI honorem, sed in compartis utilitatem juravit. *De Sponsal. n. 251.* verum etiam in praxi tuta videtur Sanchezij, multorumque sequacium sententia, sinè limitatione loquentium.

8. Quartò dirimuntur Sponsalia per professionem Religiosam; cum per illam etiam matrimonium ratum, quod est vinculum fortius, dissolvatur. *Trid. Sess. 24. de Matrim. c. 6. & cap. 2. & 7. de Convers. Conjug.* Quia Sponsa-

libus ex dispositione juris semper hæc tacita con-  
ditio inest : nisi statum Religiosum elegero : unde  
Sponsus liberè novitiatum ingredi potest , nec  
obstat *c. Commissum de Sponsal.* juxta dicta  
*p. 2. n. 49. § 50.* quomodo eo casu pars rema-  
nens eo ipso à Sponsalium obligatione liberetur,  
non verò novitiatum ingressa, dicitur *Q. I.* No-  
tat autem Wagnerek etiam extra Monasterium  
per solam habitus susceptionem dissolvi Sponsalia  
super *c. Consuluit 4. Qui Clerici vel vo-*  
*ventes § c.*

9. 5<sup>o</sup>. Sicut sponsus, aut Sponsa potest liberè  
religionem ingredi; ita potest ingressum vovere,  
& sic Sponsalia dissolvere, etiam jurata *Suar.*  
*T. 3. de Relig. l. 4. c. 5. à n. 11.* quo libro multa  
de hoc voto tractat. *Sanch. l. 1. de Spons. D. 46.*  
*n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 4. Pirr-*  
*hing de Sponsal. n. 51. apud hunc Covarruv.*  
*§ Tanner.* & insinuabitur *n. 48.* Votum  
verò simplex castitatis, vel cælibatus, vel susci-  
piendi sacros ordines, sinè consensu Sponsæ  
emissum, nec licitum est, nec emittentem à Spon-  
salibus liberat, ut dicitur *Q. II.* Dat tamen  
comparti jus resiliendi à Sponso, utpote tacitè  
renuntiante juri suo; Accedit (ait Wagnerek  
super *c. veniens 5. qui Clerici vel vor.*) per  
ejusmodi voventem, conditionem ejus notabili-  
ter mutari; tenetur enim à petendo debito absti-  
nere, quod gravissimum est onus, præsertim  
fæminæ, si semper cogitur petere. Idem quoad  
jus resiliendi est; si hic Ordines Minores susce-  
pisset: nam teste Gobat, & Sporer puellæ saltè  
in

in Germania probro sibi ducunt nubere clerico, aut clericando. Quod si Sponsus ipsâ Ordinum Sacrorum susceptione pro matrimonij contractu inhabilem se reddidisset, sinè sponsæ consensu; non modo graviter peccâisset; sed etiam ad compensationem damnorum maneret obligatus. Cùm enim pro susceptione ordinum, facultas ei nullibi concedatur, sicut juxta num. 8. suprâ conceditur pro ingressu in Religionem, manebit ad satisfaciendum obstrictus ex radice injustæ acceptionis. Vide num. 7. partis 2. *Castro Pal. D. 1. de Sponsal. p. 29. n. 2. Engel de obligat. ad ratiocin. ex Sanch. l. 1. D. 47. n. 3. König de Sponsal. n. 66.*

10. Voto Religionis, vel sacrorum ordinum, vel simplici castitatis, & etiam voto cælibatûs obstrictum, non posse licitè, aut validè Sponsalia contrahere, certum est: quia illa essent promissio rei illicitæ, adeoque nec obligatoria, nec valida: *arg. c. Rursus 6. qui Clerici vel voventes & c.* Nisi defloratio sponsæ accedat: ut dicitur.

Q. III.

11. Sextò ipso jure dissolvuntur Sponsalia, etiam jurata, per matrimonium cum alia actu, & validè (aliàs *non præstaret impedimentum, quod de jure non sortitur effectum c. 52. de R. J. in 6.*) quamvis illicitè contractum. Certa est assertio communis ex c. 1. de Sponsa duor. & c. sicut 22. c. si inter 31. de Sponsal. c. fin. *XXVII. q. 2.* quò canone pro causa assignatur reverentia Sacramenti matrimonij ex quo juxta dicta n. 1. etiam indissolubile est, non autem



Sponsalia. Ratio ulterior est, quia inter duo vincula impossibilia, tenet illud, quod est fortius, rupto, aut suspenso interim debiliore; matrimonium autem, utpote indissolubile, & ponens *jus in re* est fortius. Ergo illi cedunt Sponsalia, *arg. l. Quotiens 15. C. de Rei vindic.* adeoque non valet illa regula *54. f. in 6. Qui prior tempore, potior jure*: licet valeat pro Sponsalibus, quæ semel validè inita, & nullâ causâ justè resiliendi interveniente, non dirimuntur per Sponsalia posteriora, quamvis per copulam carnalem (juxta dicenda *Q. IV.*) vel juramento confirmata *c. 1. de Spons. duor. c. 22. & 31. de Sponsal.* ratio est: quia secunda Sponsalia nihil plus virium habent præ primis; neque obligat juramentum additum, utpote de re iniqua: *c. Quanto 18. de Furejur. & alibi sapius eod. tit. & causa XXII. q. 4. per totum.* Præterea Sponsa prior non tenetur cedere jure prius acquisito: quamvis ex sua parte possit resilire: juxta *Reg. Frustrà 75. f. in 6. & l. Cum proponas 21. C. de Pactis & Regulam*, quam hic præter alia Gottofred. adducit *Fidem frangenti fides frangatur eidem*: *Quin quod magis est* (inquit idem) *ad pœnam contra adversarium potest agere*: quâ cogetur ad priora Sponsalia servanda, vel si cum alia matrimonium contraxit, insuper priori Sponsæ compensare damna tenebitur, ut si illa expensas fecit, aut imprægnata est &c. juxta dicta *parte 2. n. 7.* & nisi ipsa sponte juri suo cedat, manebit illud adhuc suspensum, non verò extinctum juxta dicenda *Q. V.*

12. Præterea complures cum *Sanchez l. 1. D. 50. n. 6. & Palao D. 1. p. 22. n. 4. Bonac. de Sponsal. pun. 5. n. 16. & 17. Contra Covarr. & Rebillum* docent; quamvis priora Sponsalia per mortem compartis, vel per ingressum Religionis sublata essent, secunda Sponsalia de futuro, durantibus prioribus contracta, non obligare; cum primâ vice fuerint de re illicita; *tractu temporis autem non firmetur quod ab initio de jure non subsistit. Reg. 18. f. in 6. & Reg. Quod ab initio ff. eod. tit.* Sic à pari etiam post impetratam dispensationem non obligant Sponsalia tempore voti *absolutè* contracta; & conjugatus mortuâ uxore non tenetur ad Religionem redire, in quâ invitâ uxore professionem irritam emisit. *c. Quidam 3. c. Placet 12. de Convers. Conjug.* Ratione tamen damni illati, ut si eam deflorâisset &c. Sponsæ posteriori obligari sponsus posset, ut addit *Sanch. ibid. & in simili colligitur ex partis 2. q. 3.*

13. Septimò, Ex parte *innocentis* solvuntur Sponsalia, hoc est jus resiliendi ipsi conceditur, si compars in fornicationem (sive carnalem, sive spiritualem, hoc est hæresim, aut apostasiam ut notat *Pirrhing, Vallensis & alij ex c. non solum. 6. XXVIII. q. 1.*) incidat; licet violentam juxta dicenda *q. VI.* Ratio est 1. quia in sponsalibus etiam juratis, semper hæc conditio subintelligitur: *Si Sponsa contra regulam dispensationis non venerit c. Quemadmodum 25. de Furejur.* 2. Adultera potest à toro rejici *Trid. Sess. 24. c. 8. de Sacram. Matr. &*

*ius Canonicum.* in pluribus capitulis de Divor-  
 tiis ergo à potiori, fornicaria à sponsalibus:  
 nam *turpius ejicitur, quàm non admittitur*  
*hospes, juxta c. Qemadmodum.* dicta de Spon-  
 sa, vicissim intelligenda sunt de sponso. Ità ut  
*Sanchez l. 1. de Sponsal. D. 55. n. 4.* dicat se  
 non reperisse de hoc dubitantem. 3. Juxta di-  
 cta n. 11. Fidem frangenti, eadem frangi potest;  
 præsertim cum pars rea, suspectam se reddat de  
 fide tori etiam posthac violanda, de amoris im-  
 minutione &c. 4. Insuper si Sponsa fornicetur,  
 viro imminet periculum alienæ proles alendæ, &  
 infamia; cùm valde probrosum sit corruptam  
 ducere; & sic notabilis fit mutatio in illa, præ-  
 bens sufficientem causam resiliendi, ut dicitur  
*num. 22.*

14. Ad rescindenda Sponsalia etiam sufficit  
 fornicatio Sponsæ priùs commissã; vel si Sponsus  
 non deprehendat eam esse virginem, ut putabat  
 sed viduam, præsertim inhonestam. *Sanch. l. 1.*  
*D. 63. n. 2. § 3. Pirrhing, König, apud hos*  
*Guttierrez, Coninck, & alij.* Quia & hic no-  
 tabilis mutatio saltèm moralis per detectionem  
 talis vitij supervenit. 2. Pars rea repelli posset  
 ob dolum commissum; sicut qui merces vitiatas  
 venderet, juxta dicta *parte 2. n. 27. § 28.* 3.  
 Paria sunt in jure, aliquid supervenire, & præ-  
 cedere ignoranter, res enim dicitur fieri, dum  
 primò innotescit. *c. Pastoralis 4. de Except.*  
*l. In lege 77. ff. de Contrah. empt. vide Lessium*  
*de F. § F. l. 2. c. 42. Dub. 7. § Gobat de*  
*Spons. n. 293. ubi ex Suar. Sancho, Laym. §*  
*Less.*

*Less.* probat, sponsum deprehensam fornicatione, aut alia mutatione notabili resilire posse; à sponsalibus etiam juratis, quia juramentum per se loquendo, non extendit se ad plures circumstantias, quam actus; excipit tamen n. 302. pro foro externo, illa loca, in quibus usu receptum est; non admittere exceptionem, contra qualitates, nisi in contractu excipiantur. *arg. l. Veteribus 39. ff. de pactis*, præsertim si ex dissolutione gravia mala timerentur. Ergo sicut rescindere Sponsalia potest Sponsus propter fornicationem subsequentem, sic poterit, propter præcedentem ignoratam; si autem eam scivisset, & nihilominus Sponsalia contraxisset, vel contracta post rescitam fornicationem, non ignarus sui juris resiliendi, copulam carnali confirmasset, displicere haud amplius posset, quod semel placuit *R. 21. f. in 6. arg. l. 13. §. ult. serò enim accusat mores, quos, uxorem ducendo, probavit. § l. 40. ff. ad L. Jul. de Adult. & de hoc casu loquitur cap. Quemadmodum. de Furejur.* dum dicit non posse objici fornicationem præcedentem, sed subsequentem.

15. Quæ dicta sunt de ignorata fornicatione Sponsæ, extendit Navarrus ad Sponsum; verum Sanchez *l. 1. D. 63. n. 9. & cum eo Pirrhing de Sponsal. num. 62. Gobat, citans Tamburinum de Sponsal. n. 307. Ilfing Tr. 6. D. 9. n. 28. Zoësius n. 43. König n. 73. de Sponsal. & apud hunc Coninck & Bonacinna*, alique communiter, negant Sponsam habere sufficientem causam resiliendi propter fornicationem  
 Spon-

Sponsi præcedentem. 1. Quia is nec fidem fre-  
git, utpote nec dum datam, 2. Nec tam vilis  
censetur propter fornicationem, sicut Sponsa. 3.  
Nec Sponsæ ita probrosum est nubere viro, qui  
prius aliam cognovit; sicut sponso probrosum  
est, ducere corruptam prius ab alio. Nisi tamen,  
ut Authores limitant, ille per fornicationes itera-  
tas se infamem, & de incontinentia suspectum  
reddidisset. Similiter quia turpes tactus, ample-  
xus & oscula, cum alio, fædiora sunt in Sponsa  
quàm in sponso, communiter Authores sponso,  
non autem vicissim Sponsæ, jus concedunt pro-  
pter illa Sponsam deserendi; oppositum tamen  
etiam probabile est; quia talis Sponsus, ut inquit  
Ilfung, factus est impudentior, & magis suspe-  
ctus de non servanda aliquando fide matrimoniali,  
& amoris debiti diminutione. Unde putarem  
Sponsam resilientem in conscientia esse tutam,  
licet fortè propter autoritatem oppositam, in  
foro externo causâ caderet. Quid judican-  
dum sit, si fornicetur utraque pars, dicitur  
*Q. VII.*

16. Octavò Jus resiliendi acquirit Sponsa  
(idem ex Sanchez vicissim est de Sponso, quam-  
vis ob raritatem casûs id in jure non exprimitur)  
si Sponsus insciâ, aut non consentiente Sponsa;  
& sinè justa causâ, sinè spe reditûs (vel, ut lo-  
quitur Gobat, si certum sit non rediturum proxi-  
mè) discessit in regiones longinquas, vel, &  
quidem à potiori, si phrasi capituli *de illis. 5. de*  
*Sponsal. terram dimisit*, hoc est ipsum domi-  
ciliium mutavit. Quo casu in dictis circumstan-  
tiis

illis posito immediatè resilire concessum est, ut communiter docent Theologi & Canonistæ *ex c. de illis*. Nisi sponsalia fuerint jurata, & per Sponsam steterit quò minus prius implerentur, quo casu recedenti pœna imponenda est de perjurio: ut dicitur *cap. eod.* Ratio est, quia talis Sponsi in *longinquas* terras discessus, est quædam tacita renuntiatio sponsalium; neque Sponsa contrahens ad eam expectationem præsertim cum periculo incontinentiæ, se obligavit; multò minus ad mutandum domicilium, si illud Sponsus mutet, & sic sufficientem causam habet dissolvendi sponsalia, sicut juxta dicenda *num. 22.* Aliæ mutationes notabiles ad ejusmodi dissolutionem sufficiunt. Accedit sponsus, nec dignum videri ut expectetur, præsertim diutiùs; qui dignatus non est Sponsam de discessu, vel emansione præmonere, aut consensum requirere; quo impetrato Sponsa ante concessum & in conventionem præfixum terminum resilire non audeat, imò (ut *in cap. de illis*, notat *Canis.*) etiam aliquando tempore ultra illum expectare teneretur. Vide *Sanch. l. 1. D. § 4. per tot.*

17. Jus civile jubet sponsus, sed juxta multorum explicationem in causa necessaria absentem (qualis esset ægritudo, periculum mortis, defensio Patriæ &c.) expectari, donec causa cesset; *l. saepe 17. ff. de Sponsal.* Quòd si absit in causa honesta v. g. studiorum causâ, sed tamen non necessaria, intrâ Provinciam biennium, *l. Si is. 2. C. eod. tit.* extra provinciam triennium expectationis conceditur *l. liberum C. de Repu.*

*Repudiis*: in his enim casibus non censetur Sponsalibus renuntiâsse; verùm Sanchez multis pro se citatis, contra non paucos censet, jus Civile, per Canones esse correctum; tum ob rationes num: præced. insinuatâs, tum quia *in cap. de illis* nulla fit mentio de biennio, aut triennio, ut notat *Gobat de Sponsal. n. 351.* tum quia (ut urget Sanchez) liberum permittitur Sponsæ, cum alio contrahere, liberum autem ei non esset, si dependeret à licentia, vel à tempore, arg. *Glossæ Clem. Dudum de Sepult. verb. liberè*, ubi dicit ad liberè donare non requiri licentiam. Palæus probat, itèm König, nec legibus civilibus imperari illud biennium, vel triennium *absolutè* (cùm jus civile *l. 1. c. de Sponsal.* aliunde liberam concedere videatur resiliendi potestatem) sed tantùm *conditionatè*, si resiliens arrhas, & alias donationes retinere velit.

18. Optimè forsitan, tum Authiores, tum canones, & leges (quæ *arg. c. 1. de N. O. N.* potius conciliari debent, quàm sinè gravi causâ dicere, eas esse correctas, cùm hoc odiosum sit) combinari poterunt; si dicatur Sponsam desertam posse resilire; si Sponsus, eâ non consentientè domicilium mutavit; prout ex ipso capituli *De illis* textu colligunt *Pirrhing, Panormit., Canis., Wagnerek, Covarr., Laym. apud Il-sung.* Vel si absit sinè ulla, aut cum exigua spē reditûs, vel si ultra terminum à legibus, vel à Judice (nam hic ex causis justis tempus arctare, vel prorogare potest, ut docet *Gobat ex Laym., Tanner & alij*) vel ex conventionè præfixunt

ema<sup>s</sup>

emaneat, vel si expectando Sponsa periculum incontinentiæ, aut præclaras nuptias aliis negligendi, vel alia damna gravia subiret; præsertim si Sponsus, de his præmonitus, moras adhuc trahe-  
ret: extra hos casus probabiliter tempus expecta-  
tionis à legibus statutum servandum esset; cùm  
leges ut arguit Laym. de se justæ sint; nec ex-  
pressè, & disertè illis sit derogatum. Securissimè  
procedit, quod apud Gobat suadent *Palau*,  
*Guttierrez*, & *alij*; si negotium Judici commit-  
tatur, saltèm ubi dubium est de sufficientia, aut  
justitia causæ resiliendi.

19. 9<sup>o</sup>. Dissolvuntur Sponsalia lapsu termini  
pro matrimonio contrahendo *ad finiendam ob-*  
*ligationem præfixi*, ità definitum est *cap. sicut*  
*22. de Sponsal.* Ratio est: quia terminus habet  
se instar conditionis, quâ non impletâ cessat ob-  
ligatio.

20. Adhæc meliùs intelligenda notandum est  
*Sanchez*, *Laymanno*, *Palao*, *Pirrhing*, *Il-*  
*lung* & c. dupliciter terminum aut certam diem  
alicui obligationi præfigi posse I. ad eam sim-  
pliciter finiendam, ut nisi intrâ tale tempus nuptiæ  
sequantur, resilire liceat parti, per quam (sive  
culpabiliter, sive juxta *Q. VIII.* inculpabiliter)  
non stetit, ut executioni darentur; obligata ad-  
huc parte alterâ, per quam stetit, ut executio non  
fieret: si autem per utramque partem stetit, sive  
si utraque in causa fuit, ut executio omitteretur,  
utraque libera, & neutra manebit obligata. Sic  
casu quo Petrus promittat Paulo vendere domum  
intrâ mensem, si hic intrâ idem tempus centum  
duca



ducatos deponat, Paulus autem repromittat se domum empturum, & ducatos depositurum; si Petrus intra hoc tempus domum ab inquilinis evacuaverit; mense elapso utriusque obligatio cessabit, si neuter conditionem seruet. Quod si Petrus domum evacuet, Paulus verò intra hoc tempus ducatos non deponat, cessabit obligatio in Petro, non in Paulo, nisi eam Petrus remittat.

2. Terminus præfigi potest ad obligationem sollicitandam, non verò extinguendam: sic si quis pecuniam alteri pro uno anno commodavit, elapso hoc termino, potest commodatarium urgere ad solutionem; & si hic non solvat tempore statuto, non cessat obligatio solvendi; dupliciter enim obligabatur, nempeolvere, &olvere hoc tempore, unde obligatione unâ neglectâ ratione termini; nec dum cessat altera *l. Celsus 23. §. 1. ff. de Receptis qui arbit.*

21. Quod si pro nuptiis nullus terminus præfixus sit; vel si est præfixus tantum ad sollicitandam executionem, non verò finiendam obligationem; deobligabitur etiam pars illa, quæ nimîa dilatione nuptiarum gravatur ab alterâ: quia non præsumitur se obligasse ad nimis longam expectationem: hic tamen Judicis sententia requirenda est, ut ipse statuât, an dilatio sit nimia, vel terminum finiendi obligationem ponat. ita *Ilung tr. 6. D. 9. n. 27.*

22. Decimò. Inter celeberrimas Sponsalia abrumpendi causas, est etiam mutatio compartis; sive physicè, sive etiam moraliter tantum, per detectionem seu manifestationem ejus; super-  
veniens

veniens; ut colligitur ex *num.* 14. si nempe notabilis sit, per quam executio Sponsaliorum reddatur notabiliter difficilior, ut benè notat *Gobat de Sponsal. n.* 310. vel prout passim notant Aucthores, si tanta sit ut eâ prævisâ, aut præcognitâ, Sponsalia contracta non fuissent. De hac agit *Sanchez l. 1. D. 57. & sequ. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. à n. 18. Gobat n. 293. de Sponsal. in Theol. experim. Ilfing l. c. n. 29. Pirrhing n. 63. Zoëf. n. 45. Vallensis §. 4. n. 9. Engel §. 3. n. 11. König à num. 75. de Sponsal.* Ratio est 1. quia ex mente Doctorum, ut ait *Gobat*, communi calculo recepta, Sponsalibus semper inest ea conditio: nisi mutatio notabiliter præjudicans intervenerit, vel si res in eodem statu permanferit. *arg. c. Quemadmodum 25. de Jurejur.* 2. Quia contractus tam difficilis ineundi indissolubile Matrimonium, debet fieri valde deliberatè, & cum magna animi propensione, sic autem non fieret, si re notabiliter mutatâ ad matrimonium Sponsi adstringerentur. Ex hac ratione *Sanch. l. 1. D. 62. n. 3.* causam assignat; cur in aliis contractibus non detur tam facilis resiliendi potestas ob rei mutationem; quia nimirum Sponsalia ad mutuam amorem ordinantur; & ad aliquid indissolubile; adeoque majorem libertatem exigunt. 3. Talis mutatio Sponsis nunquam erat voluntaria, adeoque in eam non consenserunt. Ergo pars non mutata, potest ab altera recedere; præsertim si infausti exitus metuere: quamvis Sponsalia jurata fuissent,

M

non

non tamen post mutationem, cognitam, ratificata, juxta dicta n. 14.

23. Præsertim autem parti deceptæ resilire concessum esset, si mutatio, aut vitium contractis studiosè celatum fuisset, cum jactantia oppositi, & sic contractui, aliàs non ineundo, causa esset data; cum nulli sua malitia debeat esse lucrosa l. 1. in princ. ff. de Dolo malo. vide num. 28. part. 2. Ex his König de Sponsal. n. 71. Inter causas dissolvendi Sponsalia, secundo loco ponit dolum, si is contractui causam dedit; unde si Cajus juret, se non fuisse contracturum Sponsalia cum Berta, si scivisset esse inopem, non erit adigendus, inquit Gobat ex Sanch. l. c. n. 6. & Laymann. quia error intercessit, de quo vide p. 1. n. 4.

24. Arnoldus König cum Sporer, bona, circa quæ notabilis mutatio, & ad dissolvenda Sponsalia fieri potest, rectè dividunt in bona animi, corporis, & fortunæ. Circa animi bona (ut videre est apud Sanchez, Laym., Pirrhing, Zoëf., Ulsung, Sporer, König &c.) ejusmodi mutatio contingit, si Sponsus fiat, aut deprehendatur esse moribus asper, & sævus, ebrietati, aut scortationi deditus, vagabundus, prodigus, hæreticus, Apostata, aleator; criminibus notatus, præsertim infamiam juris, aut facti patientibus: talia sunt: Crimen læsæ Majestatis, veneficium, latrocinium, homicidium, adulterium, falsum, rapina, furtum &c.

Præterea causæ dissolutionis huc reducibiles esse possunt, graves dissensiones, & inimicitiae, sive præ-

præfentes; five futuræ, non ex vanis fundamen-  
tis præviſæ; five inter Sponſos, five inter eorum  
Parentes, & cognatos; juxta dicta p. i. n. 72.  
& ex his oritura ſcandala, & diſſenſiones. De-  
nique ut Gobat notat reſilire Sponſus poteſt, ſi  
Sponſa ſit ſpuria, & ob hoc ille non ſit admitten-  
dus ad tribum, perdat officinam, proles habeantur  
pro illegitimis &c. vel ſi viciffim Sponſus ſit  
talis, vel proſcriptus, vel Parentem habeat ad-  
ulterum, præſertim ſi alicubi adulteria valde in-  
fament.

25. Notabilis mutatio in bonis corporis eſt,  
morbus contagioſus, vel incurabilis, vel alius,  
quo unus Sponſorum ſaſtidioſus, & ad onera  
Matrimonij ſubeunda notabiliter debilis redditur  
*arg. c. 18. XXXII. q. 7. & c. fin. de Conjug.  
leprof.* Tales in particulari cenſentur eſſe, mor-  
bus Gallicus, Epilepſia, phrenēſis, paralyſis, lepra;  
perpetua oris graveolentia, Gobat addit Herniam,  
ſi ea impediatur à laboribus conſuetis, & pro vitæ  
ſuſtentatione neceſſariis. Denique ſi Sponſa, vel  
Sponſus fiat mancus manu aut pede; claudus, ſur-  
dus, cæcus, cocles: & juxta Gobat, ſi Sponſa,  
quæ putabatur foecunda fore, reſciatur eſſe ſteri-  
lis, five ex ætate, cum junior eſſe crederetur, five  
alia ex cauſa. De deformitate videnda eſt *Q. IX.*

26. Mutatio in bonis fortunæ eſt; ſi Sponſus,  
vel Sponſa in paupertatem incidat, licebit parti  
non mutatæ reſilire; vel ſi Parentes ære alieno  
graventur, ut dotem ſolvere nequeant, quan-  
quam, ut communis docetur, nec expreſſè pro-  
miſſa fuiſſet; cum in ipſa promiſſione Matrimo-  
nij

nij, promissio dotis videatur includi; vel si uterque Sponsus ita fiant, aut deprehendant se esse inopes; ut valde difficulter se sustentaturi sint. Quid juris sit, si una pars in opinatè ad magnas opes perveniat, alterà immutatà, dicetur  
*Q. X.*

27. Tandem Gobat *n.* 341. bene advertit, contingere posse, ut plures causæ concurrant, quæ licèt non sufficiant singulæ, sufficiant tamen omnes simul sumptæ ad Sponsalium rescissionem.

28. Quærunt hic Authores, an dissolutio Sponsalium fieri possit à Sponsis sinè Judicis auctoritate? *Æ.* Affirmativè: si causa dissolvendi sit certa, & de se certò sufficiens; nisi alicubi vel consuetudo, vel statutum Diæcesanum, vel (si Sponsalia publica erant, causa dissolvendi autem occulta) periculum scandali sententiam Judicis requirat. Ità ferè *Sancti. l. 1. D. 69. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. num. 23. Pirrhing n. 65. Zoëf. n. 49. Engel §. 3. n. 12. König n. 80. de Sponsal.* Ratio est: Quia in Sponsalibus, sicut in aliis contractibus dissolubilibus tacita semper conditio subintelligitur: nisi justa intervenient causa dissolutionis, qua proinde certò interveniente, licitum erit resilire. Nec obstant *c. De illis 7. § c. Duo pueri 12. de Despons. Impub. c. Porro. 3. de Divortiis.* Nam ut *Wagnerek* super hæc capitula ex *Sanchez* notat. *cap. De illis*, non præcipit, sed tantùm dicit, posse impuberem factum puberem *judicio Ecclesia* separari, si reclamet; præterquam quòd  
 illa

illa Sponsalia fuerint juramento confirmata; & sic ex hoc putent aliqui specialiter in illo capitulo statui pro presenti casu, ut iudicium Ecclesie accedat; Capitulum Duo pueri, (idem dicendum, si objiciatur *c. Saculares XXX. q. 2.*) loquitur de Sponsalibus de presenti; quod quidam Guilielmus *sinè causa*, ac iudicio Ecclesie, & sinè dubio cum scandalo deseruit. Similiter *cap. Porrò* agit de Matrimonio in facie Ecclesie contracto, cujus dissolutio, præsertim quoad vinculum (de quo juxta communem interpretationem apud *Pirrhing n. 25. de Divort.* capitulum loquitur) fieri non potest, absque iudicio Ecclesie; quamvis putetur adesse impedimentum notorium, tales conjuges tamen abstinere interim à debito tenentur. *c. Literas 13. de restit. Spoliat.*

29. Ubi causa dissolvendi Sponsalia non est moraliter certa, ita ut dubitetur de ejus existentia, vel sufficientia (circa quam teste *Pirrhing*, aliquando sufficeret viri docti iudicium exquirere) non licet propriâ autoritate resilire; sed recedere volenti, recurrendum est ad Judicem, hoc est ad Episcopum, vel constitutum ab eo, cujus erit in rei veritatem inquirere: ita *Sanch. l. 1. D. 69. n. 8.* Ratio est; quia nemo ex possessione juris acquisiti deturbandus est, ex causa incerta. 2. Quia resiliens, exponeret se periculo gravis injustitiæ in alterum committendæ. Ob has causas nec Judici in dubio decidere licebit contra reum. Quid juris sit, dum agitur de impedimento dicimente, insinuatum est. *n. 3.*

30. Opportunè l. 1. D. 70. notat Sanchez, si causa dissolutionis sit cum infamia Sponsi aut Sponsæ conjuncta, ut si esset fornicatio occulta, partem ream privatim monendam esse, ut desistat, & sic infamiam evitet; si nolit adeundos esse Parentes, vel viros pios, vel Prælatum, ut Patrem, aut partem ream moneant, quòd si adhuc in proposito persistat, fas esse eam ad tribunal Judicis deferre: Quia innocens sic utitur jure suo, cum alio modo se defendere nequeat.

## §. II.

## Quæstiones de Dissolutione Sponsalium magis Disputabiles.

### QUÆSTIO I.

*An per ipsum ingressum in Religionem, Professione nondum secutâ, & fortè nec secuturâ, dissolvantur Sponsalia; tam ex parte remanentis, quàm ingredientis?*

### Ex num. 8.

31. **R** Esp. 1. Ea solvi ex parte remanentis. Ita Suar. T. 3. de Religione, l. 4. c. 5. n. 14. & l. 5. c. 11. n. 10. Sanchez. l. 1. D. 42. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 2. Palau de Spons. D. 1. p. 18. n. 3. Pirrhing n. 50. Zoës. n. 27. Vallens. §. 4. n. 2. Engel §. 3. n. 7.

n. 7. König n. 65. de Sponsal. § c. Mastrius, & communiter alij contra Turrecrem. Covarruv. Brunell. &c. Prob. 1. Ipse ingressus in Religionem est quædam tacita renuntiatio. ergo eo ipso pars remanens, acquirit jus pariter renuntiandi; vel potius solvitur à data fide. 2. Per ingressum in Religionem, fit notabilis mutatio in ingrediente, ad quam compars se nunquam resolverat, neque cum periculo incontinentiæ; aut negligendi aliud connubium expectare tenetur, donec ingressus Tyrocinium absolvat; insuper fæminæ probrosum est nubere viro, aliquando Monachum induto, & inconstanti (idem vicissim est de viro) atqui juxta n. 22. mutatio, præsertim tam notabilis ex parte non mutati solvit Sponsalia. Ergo. 3. Professio Religiosa solvit ipsum matrimonium, juxta n. 1. ergo, cum minùs requiratur ad solutionem Sponsalium, ingressus in Novitiatum, saltèm Sponsalia solvet: unde dici solet, Sponsalibus semper hanc conditionem inesse: *Nisi Religionem ingrediar.* arg. c. verum. 2. § c. Ex publico. 7. de Convers. Conjug.

32. R. 2. Ingredientis obligatio non extinguitur, sed tantùm suspenditur, ità ut egrediens, obligetur ad contrahendum matrimonium, si compars velit. Ità Authores citati pro priori responso, excepto Sanchez; qui tamen opinionem nostram ait esse probabilissimam: hunc præter antiquos sequitur Bonacinna, Oberascher, Pellizarius tr. 2. c. 7. n. 20. Busenbaum &c. Præter suprà citatos sententiæ nostræ subscribunt



*Ilfung Tr. 6. D. 9. n. 24.* complures citans, ut *D. Th. Pontium, Trullenck, Rebellum, Co- wing &c.* Prob. 1. Novitatus non solvit Spon- salia ex natura sua; quia est cum illis compossi- bilis; neque ex jure; nullum enim extat. Ergo ex parte ingressi durat obligatio, suspensa tamen interim, sicut durat obligatio voti simplicis ante Novitatum emissi, vim suam recuperatura, si ingressus revertatur. 2. Pars remanens tali casu non cessit jure suo. Ergo illud retinet, sicut re- tineret, si compars in fornicationem incideret. 3. Privilegium concessum ratione ingressus, non debet prodesse egresso in præjudicium tertij: cum privilegia tertio præjudiciosa, sint odiosa; adeo- que strictæ interpretationis. *arg. c. 15. de Re- script. c. super eo. 15. de Offic. Jud. deleg. l. 2. §. Merito. ff. Ne quid in loco publico. l. Impu- beri 40. ff. de Administrat. & peric. tut. ubi dicitur: Privilegium militum ad alienam in- juriam porrigi non oportet. &c.* 4. Nemo potest, ut ait Zoësius, suò factò ab obligatione se liberare, cui se adstrinxit. Ergo. 5. Spon- saliorum obligatio est gravis, ergo illa non extin- guitur per Novitatum; qui nullam inducit obli- gationem ad profitendum. 6. Indignum se reddit Religionis desertor, ut favore Religionis eximatur ab obligationibus antè contractis. 7. Aliàs via fraudibus aperiretur; quia si Sponsalia inita non placerent, posset aliquis aliquantulâ habitûs assumptione viam ad alia Sponsalia sibi aperire: cum tamen *fraus & dolus alicui pa- trocinari non debeant. c. Ex tenore. 16. de*

*Rescript.* 8. Omnia vota alia extinguuntur per Professionem Religiosam, ut dictum est *parte 2. n. 49.* per Novitiatum autem tantum suspenduntur. Ergo idem dicendum est de obligatione Sponsalium.

33. *Contra 1. Objic. 1.* Ingrediens Novitiatum potest non renuntiare Sponsalibus; imò posset expressè dicere: se tantum experiri velle, utrum sibi expediat Sponsalia exequi, an in Religione profiteri. Ergo compars manet illi obligata, sicut maneret, si ad tempus peregre proficisceretur. *R. D. Antec.* Potest non renuntiare formaliter C. virtualiter, in quantum ponit causam alteri parti ad resiliendum sufficientem *N. Antec. & Conseq. R. 2.* Permissio hinc antecedente, *N. Conseq.* Quamvis enim Sponsalia non rumpat per renuntiationem, rumpit per alias causas *probat. 2. & 3.* insinuatas.

34. *Ob. 2.* Nullibi ingressui, sed soli Professioni jus tribuit vim dissolvendi Sponsalia, & ipsum etiam matrimonium ratum. Ergo illa ex neutra parte cessant. *Conf.* Sola professio est impossibilis cum Sponsalibus, quia est mors civilis. Ergo ingressus ea non solvit. *R.* Nullibi explicitè eam vim ingressui tribuit *Trans.* nullibi implicitè juxta probationes *Conclus. N. Antec. & Conseq. Ad Conf. R. C. Antec. D. Conseq.* Non solvit ea essentialiter C. non solvit, dommodo pars derelicta etiam renuntiet, virtualiter renuntianti *N. Conseq.*

35. *Ob. 3.* Sponsalia non claudicant, sed essentialiter sunt mutua juxta dicta *parte 1. Q. 18.*

ergo si ex parte Sponsæ derelictæ cessarent, etiam ex parte ingredientis perirent. Hoc argumentum probaret, quòd nec per fornicationem unius posset altera pars innocens ab obligatione solvi. *R.* Non claudicant, ut maneant perfecta Sponsalia *Trans.* per modum promissionis simplicis ream partem tantum obligantis *N. Antec. & Conseq.* Alia responsio colligetur ex mox dicendis.

36. *Repl.* Casu quo ingrediens Religionem deserat, non est opus, ut de novo Sponsalia contrahat pars derelicta. Ergo nec illa à Sponsalibus erat absoluta. *R.* 1. *D. Conseq.* Non erat absoluta omnimodè, cum Sponsalia non revocaverit, & jus habeat ad matrimonium cum regrediente celebrandum *C. Conseq.* non erat absoluta secundum quid, in quantum in illa suspenditur obligatio illorum Sponsalium. *N. Conseq.* *R.* melius 2. *D. Conseq.* ergo nec illa à Sponsalibus erat absoluta formaliter ipso jure, & facto *Conc.* Non erat absoluta radicaliter, sive non accepit jus, ut posset pro libitu immediatè, vel quandocunque resilire, *N. Conseq.* Unde bene notat *Ilfung Tr. 6. D. 9. n. 29. circa finem;* quòd aliquæ causæ solvendi Sponsalia, non ipso facto ea rescindant, sed tantum dent licentiam rescindendi. Tales sunt, absentia Sponsi, fornicatio, ingressus in Novitium, notabilis mutatio compartis. Aliæ autem ipso facto Sponsalia tollunt, & sunt cum illis impossibiles, ut professio Religiosa, impedimentum aliquod dirimens &c.

37. *Contra 2. Resp. Ob. 1.* Quòd professio

fio

sio Religiosa dissolvat matrimonium ratum, non  
 provenit ex eo, quòd profitens cedat juri suo,  
 vel quòd renuntiet, vel quòd specialiter mute-  
 tur; sed præcisè ex favore Religioni concessio.  
 Ergo etiam quòd Novitiatus Sponsalia dissolvat  
 provenit præcisè ex eodem favore. Atqui pro-  
 fessio vi illius favoris matrimonium dissolvit ex  
 utraque parte. Ergo similiter Novitiatus propter  
 eundem favorem Sponsalia solvet ex utraque par-  
 te. Major probatur: Si proveniret ex aliis cau-  
 sis recensitis, & non præcisè ex Religionis favo-  
 re, pariter dirimi deberet per professionem matri-  
 monium consummatum: atqui non. Ergo.

38. Juxta hunc argumentandi modum pariter  
 contra ipsum P. Sanchez argui posset ex favore  
 Religionis etiam dissolvi debere matrimonium  
 consummatum. In forma R. D. Antec. pro-  
 venit hoc præcisè ex favore Religionis concessio  
 perseverantibus C. Antec. Desertoribus, & fa-  
 vore illo indignis N. Antec. Ex quo patet re-  
 sponsum ad reliqua. R. 2. Trans. Antec. quia  
 juxta hæcenus dicta ex multis causis solvuntur  
 Sponsalia; ex quibus aliquæ conveniunt etiam  
 ingredienti in Religionem, etiam præscindendo ab  
 illo favore; Matrimonium ratum autem, non  
 solvitur ex pluribus causis: cur autem non dissol-  
 vatur etiam consummatum, dictum est hæc  
 parte 12. I. R. 3. D. Antec. Provenit hoc  
 radicaliter ex illo favore, in quantum dat jus, sive  
 à Sponsalibus, sive à Matrimonio rato recedendi  
 C. provenit formaliter N. Antec. & Conseq. Nam  
 professio ideo formaliter matrimonium dirimit,  
 quia

quia est impossibilis cum illo, adeoque non potest ad illud sive professum, sive compartem derelictam obligare, cum non detur obligatio ad impossibile: è contra Novitatus, cum non sit mors civilis, nec quid perpetuum, aut impossibile cum Sponsalibus, poterit Novitium adhuc relinquere obligatum.

39. Ob. 2. *Arg. cap. Verum 2. § c. Ex publico. 7. de Convers. Conjug.* Sponsalibus semper inest ea tacita conditio: *Contraho tecum, nisi statum perfectiorem elegero.* atqui status Novitiorum est perfectior statu Sponsorum. Ergo Sponsalibus inest ea conditio, adeoque Novitiatu electo cessat simpliciter eorum obligatio. *R. D. Maj.* inest conditio: nisi statum proprie dictum, qui habetur per professionem stabilem, elegero *C.* nisi improprie dictum, seu Novitium elegero, qui est tantum via ad statum, *N. Maj. & etiam min.* Novitatus enim non est status, sed via aut conditio; cum status significet stabilitatem. Neque refert, inquit *P. Wiestner de Canon. Imped. Conjug. p. 2. a. 7. n. 24.* quod conditio Novitiorum sit perfectior, quam Sponsorum: quia promissio centum aureorum facta pauperi, aut alteri causæ piæ, etiam perfectior est, quam facta diviti, aut alicui causæ profanæ, & tamen his facta conditionem: *nisi eos donem pauperi, aut impendam alteri causæ piæ* ex natura sua, vel juris dispositione non includit, ut rectè notat Perez.

40. Ob. 3. Si uterque Sponsus ingrederetur, cum protestatione non cedendi jure Sponsalium,

eo casu nihilominus utrinque solverentur Sponsalia; non ex mutatione notabili; quia utrinque esset æqualis; ergo præcisè ex favore Religioni concessio, qui cùm non minùs interveniat in ingressu unius, etiam tunc dissolutionem ex utraque parte efficiet. *R.* Antec. à P. Sanchez objici quidem, sed non probari, ideoque illud N. nam stante ea protestatione, vis obligandi Sponsalium tantùm suspendetur, non verò extinguetur; sicut tantùm in illis Sponsis suspenderentur vota, si quæ ante ingressum emisissent.

41. Ob. 4. Major est obligatio voti ingrediendi Religionem, quàm sit Sponsalium; atqui illud tollitur per solum ingressum in Religionem. Ergo etiam Sponsalia tolluntur ex parte ingredientis. Maj. prob. Votum illud est de objecto perfectiori. 2. Per illud homo se consecrat, non homini, sed supremo Domino cum corpore & anima. 3. Illo superveniente solvuntur Sponsalia, cùm tamen Sponsalia priora non dirimantur per posteriora, *juxta dicta n. 11.*

*R.* Permissa Maj. & min. N. Conseq. Disparitas est: quia illud votum nihil aliud intendit, nec vovens ad aliud se obligat, quàm ad ingressum (suppono enim, quòd non simul voveat ipsam perseverantiam, quò casu per solum ingressum voto non satisfaceret; ut notat Suarez, fusè agens de hoc voto T. 3. de Relig. toto lib. 4.) ergo ingressu posito eo ipso satisficit voto: è contra, ingressus in Religionem, non est impletio Sponsalium; non enim Sponsi se obligant ad Religionem.

nem. Ergo ingressu positò Sponsalia non extinguuntur, sed purè suspenduntur.

42. Ob. 5. Ut Novitiis esset liberrimus, & non nimis difficilis egressus, *Trid. Sess. 25. de Regul. c. 16.* irritat omnem renuntiationem, & obligationem in novitiatu, nisi fiat cum licentia Episcopi intra duos menses proximos professioni: *nè nimirum Tyro hâc occasione discedere nequeat, quòd totam, vel majorem substantia suâ partem monasterium possideat; nec facile, si discesserit, id recuperare possit;* unde ibidem præcipit, ut abeuntibus è Novitiatu omnia restituantur. Atqui sæpe multò difficilior esset egressus, si quis sciret se reverti debere ad Sponsam, quàm horret præ omnium bonorum jactura, ità ut ab ea se liberandi studio, ingressum pro malorum remedio elegerit. Ergo ut liberè possit egredi, ipso ingressu à Sponsalibus plenè absolvitur.

43. Hoc argumentum probaret, etiam eum, qui dolosè præcisè ad obligationem suam, & jus alterius extinguendum, ingrederetur Religionem; ità ut favor Religioni concessus, instrumentum iniquitatis fieret, quod tamen ipse Sanchez, ejusque sequaces negant. In forma R. C. Maj. D. min. Sæpe difficilior est egressus per accidens, ex circumstantia Sponsæ displicentis; C. min. est difficilior per se N. min. In priori casu egressus semper, adeoque per se, & ex natura rei difficilis est; quia semper durum censetur, & arduum, vacuis mani-

bus

bus ad sæculum regredi, ditatâ interim deser-  
toris opibus Religione, cui ipse, vel ipsa illi dis-  
plicuit; è contra egressus Sponsi tantùm ali-  
quando in circumstantia displicentis Sponsæ, &  
non per se, ac ex natura rei difficilis est; cùm  
per se omnium iudicio status Religiosus sit ma-  
gis arduus; ideoque magis perfectus, & meri-  
torius, quàm matrimonialis. Jura autem cu-  
rant ea, quæ frequenter & per se, non verò,  
quæ per accidens contingunt. l. 3. 4. 6. ff. de  
LL. Nam ad ea potius debet aptari jus,  
quæ & frequenter, & faciliè, quàm quæ  
perrarò eveniunt l. Nam. 5. eod. tit. Et  
cur obsecro propter aliquas Sponsas malas, &  
displicentes, quæ reditum ex Religione diffici-  
liorem redderent, bonæ jure suo privari debe-  
rent? R. 2. Tridentinum irritat omnem re-  
nuntiationem in novitiatu factam, & insuper  
irritatione nemini injuriosâ C. Maj. extra No-  
vitiatum factam, vel irritatione alicui præjudi-  
ciosa, sicut præjudiciosa tertio foret irritatio Spon-  
salium ipso ingressu facta N. Maj. D. etiam min.  
sæpe difficilior est egressus ille per accidens, & in-  
super illi difficultati, si justa est, faciliè per alios  
modos solvendi Sponsalia obviari potest C. min.  
Est difficilior per se, & posset tam faciliè succurri,  
post bona Religioni transcripta, egredientibus,  
N. min. & Conseq.



## QUÆSTIO II.

*An votum simplex castitatis, vel Coelibatûs, vel suscipiendi sacros Ordines dirimat Sponsalia ante votum inita?*

*Ex num. 9.*

44. **A**ffirmativam tenent non pauci Authores cum S. Thoma & Soto, aliqui perperam pro ea citant Suarezium; ex autoritate præsertim, probabilem, & in conscientia tutam censent etiam oppositi Authores, ut *Suar.*, *Laym.*, *Pirrhing*; præsertim si Sponsalia erant occulta; nam si publica fuerunt, solet Judex (ut hi testantur) voventem compellere, ut vel Sponsalia servet, vel Religionem (ad quam tamen vi voti non tenetur) ingrediatur; vel sacros Ordines suscipiat. *Maffrius D. 7. de Matrim. n. 304.* dicit esse sententiam communiorem; Verum communior, præsertim Canonistis, est opposita; & in rigore vera, magis secuta, ac juridica (ut loquitur *Suar.* eam propugnans *T. 3. de Religione l. 9. c. 7. n. 12. & l. 2. de voto c. 4. n. 13.*) seu juri conformior, ut ait *Less. de J. & F. lib. 2. c. 41. Dub. 6. n. 54.* his subscribit *Sanchez de Spons. lib. 1. D. 46. n. 9. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 6. Palau l. 1. p. 20. n. 6. Ilfing tr. 6. D. 9. n. 24. Gobat de Sponsal. n. 312. & num. 319. Lugo, Sporer &c.* & apud hos multi, Ex Canonistis *Barbosa,*  
Pir

*Pirrhing, Zoës., Engel, Wiestner &c. aliique præsertim super cap. Veniens. 5. qui Clerici, vel voventes &c.*

45. Prob. 1. *Cap. Veniens. cit.* Mulieri, quæ post Sponsalia votum continentiaë emiserat, imponitur Pœnitentia *de fide mentita*, ut loquitur Pontifex. Atqui nec Pœnitentia eidem imponi, nec de mendacio argui posset; si fuisset votum illius licitum, ergo non est licitum, adeoque nec obligat, nec Sponsalia solvit. 2. Votum de re aliena non est licitum, adeoque nec validum, cum juxta *Reg. 69. J. in 6.* ad illicitum nemo obligetur: consequenter nec acceptatur à DEO, non enim Deo placet victima ex rapina. Atqui prædictum votum est de re aliena, & alteri debita ex justitia, ex qua Sponsalia obligant; ergo non est licitum; nec in quantum juri alterius præjudicat, validum; nec Deo gratum; sicut si quis mille aureos Petro promissos, vel locò illorum, etiam majorem summam vellet templo, aut hospitali transcribere. 3. Forum externum solet tales voventes compellere ad fidem Sponsæ servandam; teste *Less., Laym. & aliis*, fatenturque ipsi adversarij; quod facere non possent, si votum prævaleret, dissolveretque Sponsalia; sicut si Sponsus post matrimonium ratum Religionem intret, compelli non potest, ut hanc desertâ, uxori adhæreat. 4. Quamvis maritus, se possit votò obstringere ad non petendum debitum, non potest tamen in præjudicium uxoris se obligare ad non reddendum. Ergo pariter licet voto se obligare possit ad non urgendam

N

Spons

Sponsalium executionem, non tamen se potest obligare ad recusandam, si Sponsa urgeat jus suum. §. Universaliter, ut docet *Suar.* votum non facit rem licitam, sed præsupponit talem, eamque reddit meliorem. Atqui post Sponsalia inita, non est Sponso licitum sine consensu Sponsæ, manere in cœlibatu. Ergo nec ei hoc licitum fieri potest per votum castitatis cœlibatum includentis.

46. Ob. I. In Sponsalibus semper intelligitur tacita hæc conditio: nisi meliorem statum elegero. Atqui status castitatis ex *Trid. Sess. 24. de Sacram. Matrim. c. 10.* est perfectior; ergo licitum est hunc emissõ votõ eligere, & sic rescindere Sponsalia. R. I. indirectè. Ergo licet etiam ipsum matrimonium tum ratum, tum consummatum per votum simplex castitatis, vel contra *extrav. Antiqua Joann. XXII. de voto & voti redempt.* per susceptionem Sacri Ordinis dissolvere, vel etiam per solum propositum castitatis, cum & hoc videatur esse perfectius; secundum illud Pauli *1. ad Cor. 7. v. 38. Qui non jungit* (non ait, qui vovet) *melius facit*; vel per simplicem oblationem, quâ sine votis aliquis monasterio pro servitio se perpetuò obstringeret. In forma R. N. Maj nam ut *Suar. cit.* ostendit: Illa conditio nec inest ex natura rei; quia enim homo non tenetur semper ad id, quod est perfectius; sicut potest simpliciter eligere minus perfectum, sic potest se ad illud tertio obligare; neque ea inest ex jure positivo; cum tale nullibi extet; nec

ex

ex ipsa voluntate *absolutè* tantum contrahentium. Ergo. 2. Permissa Maj. D. min. Status castitatis est perfectior absolutè comparatus cum matrimonio C. comparatus in circumstantiis injuriæ tertij N. min. & Conseq. Accedit, quòd votum simplex castitatis non faciat propriè statum, præter vota simplicia societatis nostræ post biennium Novitiatus emitti solita, ex parte voventis in perpetuum obligantia; quæ ex privilegio *Gregorij XIII. Bullâ, Ascendente, edita 8. Kal. Junij 1584.* constituunt verè in statu Religioso; ità ut pro veteris Apostatis habeantur contumaces hujus instituti desertores; dirimuntque non modò Sponsalia, sed ipsum etiam Matrimonium *contrahendum.*

47. Repl. 1. In Sponsalibus, imò etiam in matrimonio rato, intelligitur conditio: *Nisi statum Religiosum elegero*; quia hic status est perfectior. Ergo etiam in Sponsalibus hæc intelligitur, nisi per votum castitatis cœlibatum, utpote perfectiorem, elegero. Conf. *Juxta cap. Pervenit. 3. de Jurejur. Promissum non infringit, qui in melius illud commutat.* Atqui hoc facit Sponsus vovens castitatem. Ergo. Resp. C. Antec. N. suppositum Consequentis: quia in his circumstantiis votum est injuriosum alteri: ergo non potest esse perfectius, quàm impletio justitiæ. Vide etiam n. 43. Resp. 2. D. Antec. Intelligitur illa conditio ex claro jure *c. verum 2. c. Ex publico 7. de Convers. Conjugat. Trid. Sess. 24.*

*de Sacram. Matrim. Can. 6. C.* intelligitur ex natura rei N. Antec. aliàs etiam post matrimonium consummatum propter illam conditionem remaneret jus ad Religiosa castra transeundi. Nihil simile extat pro Sponsi voto simplici castitatis, ad quod Privilegium soli Religioni concessum, extendi non debet cum præjudicio Sponsæ; juxta dicta *num. 45.* Ad Conf. R. 1. C. Maj. N. min. nam injustitiam exercens in Sponsam non facit meliùs, quàm si justitiam servaret. R. 2. Non infringit, qui in melius commutat sinè injuria tertij, & quando id fit cum consensu promissarij, vel quando melius datur eidem promissario, cui debebatur minùs bonum, ùt si promittens Petro centum ducatos eidem, & non alteri, locò illius daret mille C. M. si fiat cum injuria, sinè consensu promissarij, vel si locò rei alteri promissæ, detur alicui tertio aliquid melius N. M. Ex quo juxta dicta *num. 32.* patet responsum ad *minorem* & *Conseq.* Accedit, quòd juxta hunc argumentandi modum, omnes promissiones homini factæ expungi possent per vota, aut oblationes Deo faciendas.

48. Repl. 2. Potest quis post Sponsalia emitteie votum Religionis amplectendæ, sicque dissolvere Sponsalia. Ergo eadem dissolvere potest per emissionem voti castitatis. R. C. Antec. N. Conseq. disparitas est: quia juxta dicta *num. preced.* desponsatis claro jure datur potestas ingrediendi Religionem: ergo etiam possunt illum ingressum vovere; nam res licita de meliori bono est

est materia voti, & cui conceditur finis, hoc est Religio, etiam concessa censentur media ad finem, quale medium est votum ingrediendi. 2. Sicut se habet votum solenne Religionis, seu professio respectu Matrimonij rati, ita se habere videtur votum ingrediendi respectu Sponsalium. ergo sicut illud dissolvit matrimonium ratum, ita hoc Sponsalia dissolvit, hoc sensu, quod illis non obstantibus possit Sponsus liberè ingredi. Nihil tale conceditur, aut urget pro voto simplici castitatis, aut coelibatûs.

49. Replicab. 3. Votum ingrediendi Religionem ideo Sponsalia dissolvit, quia status Religiosus propter votum solenne castitatis se non compatitur cum illis. Atqui etiam status in sacris constituti propter simile votum etiam se non compatitur. Ergo saltè votum suscipiendi sacros ordines illa dirimet. *q. N. Causalem Maj. & do hanc: quia jus cuilibet Sponso, imò & conjugii ante consummationem concedit liberum transitum ad Religionem, juxta dicta n. 47. Non autem ad ordines, quem conjugatis invitâ comparte insuper prohibet. Extrav. Antiqua. Joan. XXII. de voto & voti redempt.*

50. Ob. 2. Ubi concurrunt duo vincula incompatibilia, obligat illud, quod est fortius. *arg. c. Si inter. pen. de Sponsal. vi* cujus matrimonium dissolvit Sponsalia priùs cum alio inita. Atqui votum, & Sponsalia sunt duo vincula incompatibilia, & votum est fortius, 1. quia fit supremo Domino. 2. Quia per illud obligatur Deo corpus, & anima. 3. Quia (*ut Wagnerek super c. Veniens*

*niens s. qui Clerici vel vow.* oppositum tenens ait ) per Sponsalia non ita nos obligamus homini, ut non excipiamus tacite statum, qui Deo est gratior, salutique nostrae conducibilior, & majoris meriti, ut adeo respectu Dei in Sponsalibus, & matrimoniis semper saluum maneat jus quoddam retractus, sive reuotionis. Ergo votum eo casu obligat. R. D. Maj. Obligat illud, quod est fortius, si sit validum, sicut *ex cap. cit.* jure positivo validum est Matrimonium C. Maj. si non sit validum N. Maj. D. etiam min. atqui votum est fortius in aliis circumstantiis, in quibus est validum, & alteri non injuriosum C. min. in praesenti casu, in quo juxta probationes conclusionis invalidum est N. min. & Conseq. Quod verò in Sponsalibus non intelligatur conditio, quam P. Wagnerek inesse putat, constat *ex num. 46.*

§ I. Ob. 3. Juxta *c. Veniens cit.* Debet mulieri poenitentia imponi, quod per nuptias violare voluerit votum castitatis post Sponsalia nuncupatum; & conceditur illi insuper dispensatio in voto. Atqui si votum illud non obligaret, nec violari posset, nec pro violatione poenitentia imponi, frustranea pariter esset dispensatio in voto aliunde irrito. Ergo votum post Sponsalia nuncupatum valet, & obligat. R. Debet mulieri tanquam voti fragæ poenitentia imponi, quod non obstante voto castitatis, voluerit nubere, non quidem Sponso suo, qui jam cum alia contraxerat, sed alicui tertio, & respectu hujus datur ei dispensatio C. Maj. debuisset illi poenitentia imponi, aut dispensatio dari, ad nubendum priori legitimo Sponso  
N. Maj.

N. Maj. & quia isti *fidem mentita* est, ideo punitur. Ex his patet responsio ad min. Præterea etiam ratione voti puniri potuisset, quamvis non voluisset nubere tertio; ex eo, quòd votum tam temerarium contra obligationem, quâ tenebatur Sponso nubere, emiserit.

52. Ob. 4. Ipsa ratio dicitur, cuilibet esse licitum transire ad statum perfectiorem & Deo, se consecrare, non obstante promissione homini facta; nec hic conqueri potest, quòd Deo postponatur; nec Sponsus Sponsæ promittit, & fortè nec promittere rationabiliter potest, quòd ab illa nolit per votum recedere, ut propius ad Deum accedat; ergo semper in Sponsalibus ea conditio intelligitur; nisi per votum elegero statum perfectiorem. Conf. In professione Religiosa semper ea conditio subintelligitur, promitto me sub hac Religiosa disciplina perseveraturum; nisi elegero ordinem strictiorem. *c. Licet. 18. de Regul. & transeunt. &c.*

53. Hoc argumentum probaret rursus, conjugibus etiam post Matrimonium consummatum licitum esse transire ad Religionem, vel post ratum elicere vota castitatis, coelibatûs, clericalitûs &c. vel res homini promissas, aut debitas, posse Deo consecrari per eleemosynas &c. In forma R. Dicitur hoc ratio cuilibet non vinculo siclicitum esse transire, si id fiat sinè injuria tertij C. secus N. & sic homo potest conqueri, quòd sibi fiat injuria sub vano prætextu Deum præponendi, & eum accedendi; cùm talis præpositio, aut accessus nec Deo gratus sit, juxta



probationes conclusionis: nisi quis dicat sic omnes promissiones homini factas posse in aliquod opus Deo offerendum commutari &c. Ad Conf. R. Eam conditionem ex positivo jure professioni inesse, quale nullibi extat pro voto respectu Sponsalium; disparitas etiam est: quia utraque professio saltē principaliter Deo fit: ergo præsumi potest eam Deo magis placere, quæ est ad ordinem strictiorem, juxta dicta num. 47.

54. Ob. 5. Votum simplex antecedens dissolvit Sponsalia subsequa, etiam jurata. c. Rursus. 6. Qui Clerici vel voventes. &c. ergo subsequens dissolvit saltē non jurata. Conf. Simplex votum apud Deum non minus obligat, quam solenne. ergo Sponsalia solvet sicut solenne.

55. Resp. C. Antec. N. Conseq. disparitas est: quia Sponsalia post votum inita essent promissio rei alienæ, jam alteri, nempe Deo, debita; ergo nec obligant, nec valent: sicut nec ipsum juramentum, quod sequitur naturam actus, nec potest esse vinculum iniquitatis. c. Quanto. 18. de Jurejur. Si autem votum sequatur, erit illud de re, jam alteri debita, adeoque illicitum. Ad Conf. R. 1. indirectè: ergo votum simplex etiam Matrimonium ratum dirimet, sicut solenne. R. 2. Non minus obligat quoad aliquos effectus, & in præjudicium voventis; ut non possit cum alia contrahere Sponsalia, nec petere debitum in Matrimonio, obligeturque ad continentiam defunctâ uxore C. quoad omnes effectus, & in præjudicium tertij N. Antec. & Conseq.

Conseq. Simile quid dicitur de juramento, quòd inter illud, & simplicem loquelam Deus non faciat differentiam. *c. Juramenti* 12. *XXII. q. 5.* & tamen gravius peccat, & punitur perjurus, quàm simpliciter mentiens. Disparitatem præterea inter hæc vota dat Canisius, quòd per solenne fiat traditio, non verò per simplex.

### QUÆSTIO III.

*An, si voto castitatis, vel Coelibatûs, vel Religionis, vel suscipiendi Sacros Ordines, prius obstrictus, contrahat Sponsalia cum destoratione Sponsæ, voti ignaræ, obligetur ad voti, an ad Sponsalium implectionem?*

*Ex num. 10.*

56. **P**RO voto stat Laymannus *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 5.* cum Navarro in prima edit. & Rodriguez, König n. 26. de Sponsal. addit Vivaldum, Perezium, Dicastillum, Mastrius Hurtadum. Inclinat in eam Pirrhing de Sponsal. n. 54. sed de Adulter. & stup. n. 56. sequitur cum Lugone oppositam; quam etiam simpliciter asserit Gobat de Sponsal. n. 228. quamvis num. 99. faverit Laymanno. Præter hos pro Sponsalibus pugnant Suarez T. 3. de Relig. l. 9. c. 7. n. 17. Lessius de J. & J. l. 2. c. 10. Dubio 4. n. 32. dicens: hanc sententiam

N 5

passim

passim à Doctoribus tradi. *Sanchez l. 1. D. 45. n. 3. Palaus D. 1. p. 18. Ilfung tr. 6. D. 9. n. 63. dicens eam esse plerorumq; apud Tamburinum. Zoësius n. 11. super Tit. Qui Clerici vel voventes.* Apud hos *Azor, Gurtierrez, Reginal., Filliuc., Bonacin., Coninck, Vasquez,* apud *Mastrum Tancredus, Rebellus, Pontius, Caspensis &c.* Prob. hæc sententia 1. Votum non obligat rebus notabiliter mutatis, unde ejus obligatio ex multis causis cessare potest, & solet, v. g. per desitionem materiæ, vel conditionis, per dispensationem, irritationem, commutationem &c. ut omnes docent cum *Lessio l. 2. de F. & F. c. 40. Dub. 11.* atqui in præsentī casu notabilis prorsus mutatio supervenit, nempe fortissimum justitiæ vinculum, & damnum Sponsæ ex voti impletione secuturum: ergo votum hic non obligat; nec poterit promissio in illo inclusa impedire jus alteri parti ortum ex ejus promissione onerosa, & reali exhibitione rei completa. 2. ut argumentatur *Lessius l. c.* Si ego vovissem centum dare in eleemosynam, & postea inferrem alteri damnum tanti æstimatum, nec haberem aliunde, quò illud compensarem, tenerer dare illa 100. Deo vota, nec possem persolvere votum, ommissa damni compensatione (quia nempe obligatio strictæ justitiæ præponderaret obligationi Religionis) ergo à pari. 3. Si quis ære alieno gravatus, vovisset Religionem, teneretur ille ingressum ommittere, aut suspendere, quamdiu affulgeret spes, quòd intra breve tempus solvere debi-

debitum poterit. Atqui in præfenti casu debitor potest solvere, ducendo fœminam. Ergo. 4. Si deflorator Sponsam ducat, adhuc eum ligat votum ad abstinendum à petendo debito, à secunda uxore, post mortem primæ, ita ut DEO jus vi voti acquisitum, non extinguatur penitus, sed tantum suspendatur, & coarctetur, nec possit voto obstrictus quidquam positivè contra illud agere; sed tantum quasi pati ejus violationem. Ergo cum tam graves causæ id postulent, tenebitur reus votum suum dicto modo suspendere. 5. Votum procedit ex pura liberalitate, & voluntate gratuita, item ex virtute Religionis, non potentis in præjudicium tertij obligare; Sponsalia autem obligant ex contractu utrinque oneroso, & ex justitia; ergo horum obligatio tanquam vinculum fortius prævalet. Sicut à pari, voto castitatis, quò obstrictus esset maritus, prævalet jus debiti conjugalis; quod uxori petenti, non obstante voto, reddere tenetur; vel sicut prolis posthumæ jus ad hæreditatem prævaleret voto, quò Parens moriturus constituisset Ecclesiam, aut monasterium hæredem.

57. Ob. 1. Obligatio voti est prior. Ergo obligatio Sponsalium non potest ei derogare; nam *qui prior est tempore, potior est jure.* R. F. 54. in 6. R. 1. indirectè. Ergo nec matrimonium posset tali voto derogare, adeoque illud non esset impedimentum tantum impediens, sed dirimens. R. 2. C. Antec. & Conseq. cum sua causali; quia Regula tantum valet, ubi jura sunt æqualia: unde inter duos emptores, si posteriori

rioni res simul extradita est, fit ille jure potior.  
*l. 15. C. De R. V. junctâ glos. l. Si ea, 31. ff. de Action. Empti.*

58. Ob. 2. *Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum. R. 7. § 1. in 6.* ergo etiam corpus semel ex voto dicatum Deo, non debet homini amplius obligari. *R.* Ex Streinio & Compendiatore Pyrrhingij Regulam hanc potissimum intelligendam de rebus consecratis, ut calice, altari, sacris apparamentis &c. non adhibendis amplius ad usus profanos, universaliter autem accepta in multis fallit. In *farma R.* Non est ad usus profanos ulterius transferendum; ita ut illicitè agat, qui votò obstrictus Sponsalia contrahit, & insuper copulâ carnali confirmat C. ita ut non agat validè, imò etiam licitè, si Sponsalia prius illicitè inita parte urgente, impleat N. Antec. D. etiam Consequens; Non debet obligari antecedenter, seu illicitè ponitur talis promissio C. non debet obligari consequenter ad illam implendam, quamvis illicitè prius positam N. Conseq. Sic à pari. Illicitè quis pacto pretiò inducit puellam ad fornicationem, hâc tamen impetratâ, debitor fit pretij, juxta sententiam communiorem.

59. Ob. 3. *Melior est conditio possidentis. R. 56. §. in 6.* ita ut hic propter rationes purè probabiles non debeat deturbari ex possessione certi juris, ut ex jure, & multorum Autoritate præclare ostendit *Cardenas in Crisi Theolog. Dissert. 23. c. 2. a. 1.* Atqui Deus per votum sibi factum est specialiter in possessione certi  
 juris,

juris, quod habet in voventem, & in corpus ejus. Ergo ex illo non debet deturbari per rationes purè probabiles. Atqui tales sunt, quæ adducuntur pro asserendo jure mulieris corruptæ contra DEUM. Ergo. Hoc argumentum probaret, quòd etiam matrimonium contractum cum obstricto simplici voto non valeret; nè DEUS deturbetur ex certo jure priùs acquisito. R. Regulam illam esse purè juris humani, ideo introductam, ut cum unus alteri cedere nolit, nisi clarò jure convictus; per illam faciliùs lites terminarentur: quamvis subinde verus Dominus proprietatis damnum pati cogatur; de quo possessor inter homines parùm curat: unde Regula illa non concernit possessorem DEUM, qui sæpe jure suo cedere videtur; cum valde frequenter, & multis modis obligatio votorum cessare soleat, quam Deus posset velle non remittere. R. 2. Permissã Maj. N. min. Nam licet Deus per votum certum jus habeat extra circumstantiam damni, & injuriæ per voventem inferendæ, si votum impleatur; non manet tamen certum in circumstantia Sponsæ defloratæ; cum plurimi, & primæ notæ Authores oppositum sentiant: quod non fieret, si oppositum esset certum: cum contradictoria nequeant utrinque esse certa. Dicit tandem potest, jus talis Sponsæ in corpus Sponsi esse certum; cum illo Sponsus titulò justitiæ certò obligetur, sicut uxor habet certum jus in corpus mariti in ordine ad petendum debitum, licet ille voto castitatis sit obstrictus.

60. Ob. 4. Si talis Sponsus matrimonium non promississet, non teneretur ducere defloratam, præcisè ratione damni per deflorationem illati. Atqui promissio accedens nihil addit obligationis, cum sit de re illicita, & Deo debita, adeoque irrita. Ergo nec ea accedente tenetur defloratam ducere. R. C. Maj. N. min. quamvis enim promissio in se, & solitariè accepta sit irrita, in consortio tamen damni illati parit obligationem fundatam in delicto fraudis, & injuriæ: quia per talem promissionem Sponsa fraudulenter, & malitiosè in damnum inducta est: sicut extra circumstantiam voti juxta dicta p. 2. Q. III. in tali deceptore etiam ficta promissio conjuncta copulæ, parit obligationem. Aliud dicendum esset, si absque promissione matrimonij, aliqua se in fornicationem induci permitteret, quo casu *scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus. R. F. 27. in 6. imò se ipsam decipit. arg. l. 1. §. 6. de Edilitio edicto.*

61. Ob. 5. Juxta dicenda Q. IV. Sponsalia posterius contracta, quamvis confirmata per copulam carnalem, non derogant prioribus, ergo nec voto. Resp. C. Antec. N. Conseq. disparitas est 1. Quia in priori casu Sponsa est in possessione juris sui, cui non vult cedere, parùm curans injuriam alterius deceptæ; Deus autem juxta rationes Conclusionis cedit suo juri per votum acquisito, nè injuria fiat tertio: præsertim cum ipsi DEO censeatur fieri, quod fit ex charitate, vel contra Christianam charitatem proximi. 2. Sponsus per votum obligatur DEO

purè

purè liberaliter ex virtute Religionis ; Sponsæ autem obligatione fortiore , quia ex justitia : ergo votum cedit justitiæ : in binis Sponsalibus autem esset utrinque titulus justitiæ : & quamvis in posterioribus etiam copula , & consequenter damnum Sponsæ accedat , tamen non prævalent ; quia primæ Sponsæ jus ex aliis titulis præstantius est : nempe quòd sit priùs tempore , & sit jus innocentis. 3. Primæ Sponsæ innocenti , si cogatur fornicariæ cedere , certò fit injuria : in altero casu autem , si voto obstrictus ducat Sponsam à se defloratam , non fit Deo injuria : quia juxta probat. 4. Concl. talis Sponsus adhuc manet voto obstrictus ; quòd autem exercitium voti secundùm quid suspendatur , sufficienter compensatur per observationem justitiæ , non tantùm in bonum Sponsæ ; sed etiam in honorem DEI cessuræ , impediunturque per hoc multæ blasphemix , iræ , lites &c. ex corruptæ Sponsæ repudio orituræ ; adeoque ipsi Deo quodammodo expedit , ut Sponsæ corruptæ satisfiat.

62. Ob. 6. Videtur rationi dissonum , ut Sponsus talis votifragus pro libitu posset se per ipsum scelus à voto deobligare , & corpus suum semel DEO oblatum fornicariæ complici , quasi in sceleris præmium extradere. Ergo. Resp. D. Antec. Dissonum hoc est in causa , & antecedenter , in quantum sacrilegè matrimonium promittit , & sceleratiùs promissionem carnali copulâ confirmat C. dissonum hoc est  
con-



consecutivè, sive executio talis promissionis est mala N. Antec. & Conseq. Sic etiam voto simplici obstrictus sacrilegè contrahit Matrimonium; non tamen post illud contractum sacrilegè reddit debitum, sed justè.

63. Ob. 7. Non licet rem uni donatam iterum furari ad expungenda debita, aut damna compensanda injustè illata. Ergo nec licet quodammodo furari DEO corpus semel in voto consecratum, ut illud ad compensanda damna meretrici tradatur. Resp. C. Antec. N. Conseq. quia tali casu suspensio voti, juxta rationes conclusionis, non est mala, quamvis occasio illius suspensionis mala fuerit; semper autem malum est furari. 2. Dominus rei furto ablatæ est rationabiliter invitus; DEUS autem non est invitus, ut patet ex *num. 6. & 61.*

64. Ob. 8. Talis Sponsus non potest sine dispensatione matrimonium contrahere. Ergo votum adhuc prævalet. Resp. cum Lessio Negativè, cum tali casu executio voti ipsi sit illicita, adeoque licitum ipsi erit matrimonium sine dispensatione; utiliter tamen illa petetur; aliàs ex parte sua nec debitum petere, nec ad secundas nuptias transire poterit. R. 2. Permissio Antec. N. Conseq. Hoc ipso enim obligatio matrimonij prævalet, si illa ita urget, ut aliquis petere dispensationem teneatur, ut possit satisfacere obligationi.

65. Ob.

65. Ob. 9<sup>o</sup>. Firmior est obligatio Sponsalium juratorum, quam non juratorum, & tamen posteriora jurata non praevalent prioribus non juratis: ergo nec sponsalia per copulam confirmata praevalent voto prius emisso. *N. D. Antec.* Firmior est obligatio Sponsalium juratorum, quam non juratorum, si jurata aliunde valida sint C. si sint invalida, prout juxta dicta *n. 11.* semper invalida sunt una cum suo juramento sponsalia secunda nondum rescissis primis *N. Antec. & Conseq.* Promissio autem illa deflorata facta quamvis non obliget praecise in se accepta; obligat tamen in consortio damni illati: sicut in simili dictum est *n. 60.* Nec tenetur foemina satisfactionem aliam acceptare; tum quia pudicitia (inquit *Lessius l. c.*) non est pecunia aestimabilis, tum quia illa non tenetur subire infamiam amissae Virginitatis, ut ille votum suum impleat. Vide etiam *part. 2. Quast. III. n. 11.*

### QUAESTIO IV.

*An Sponsalia priora dissolvantur per posteriora, copula carnali confirmata?*

*Ex num. 11.*

67. **N**ON est hic quaestio de casu, quod utraque Sponsa ab eodem fuisset corrupta; quia ibi ceteris paribus *jure posterior* fuisset prima *R. J. 54. in 6.* Neque de casu, quo Sponsa posterior fuisset conscia priorum Sponsalium; quia

quia sic non censeretur decepta, l. 1. ff. §. 6. de adilit. edicto. Neque quæritur de jure antiquo (quod probabiliter etiam adhuc tenet quoad hoc punctum in iis locis, in quibus Tridentinum clandestina matrimonia irritans, non est receptum) vi cujus Sponsalia per copulam carnalem confirmata, præsumptione juris transibant in Matrimonium, c. 15. §. 30. de Sponsal. His ergo præsuppositis tanquam certis, ad Quæstionem, prout sonat, acceptam (quam P. Wiestner de Canon. Imped. p. 1. a. 5. n. 24. vocat curiarum Ecclesiasticarum Præsidibus aliquando satis molestantam controversiam) affirmativè respondet Castro Palaus D. 1. p. 22. n. 6. Gobat de Sponsal. n. 326. Ilfing tr. 6. D. 9. n. 25. & apud hos non pauci, ut Major, Pontius, Rebellus, Coninck, Diana, apud Mastrium Palatius, Reginaldus, Caspenfis. Nihilominus negativam tenet Sanchez, l. 1. D. 49. n. 1. Laym. l. 5. Tr. 10. p. 1. c. 1. n. 5. Pirrhing n. 57. Zoës. n. 36. Engel §. 3. n. 5. de Sponsal. Wiestner l. c. Mastrius Diss. 7. de matrim. Sacr. n. 314. Apud hunc Tancredus, Aversa, Becanus, Stephanus à S. Gregorio: apud König P. Burghaber, pluresque apud Sanchez.

68. Probatur hæc sententia 10. Sponsa prior habet certum jus, & quidem prius, legitime, nullo scelere intercurrente acquisitum. ergo æquum non est, ut illud cedere cogatur Sponsæ secundæ fornicariæ, potius pœnam, quam præmium meritæ. Nempe per se & ex stricta justitia: nam plerique Authores citati, accedente Tamburino, & König docent aliquando

ex

ex quadam æquitate, & Charitate (obligante quemlibet ad leve damnum subeundum, si possit grave damnum proximi avertere) Sponsam priorem debere cedere, si ipsa, præsertim ex Sponsalibus privatis, leve, aut nullum damnum metuendum habeat, deflorata autem, vel etiam proli secutura grave immineat; nec per dotem, nec aliâ ratione compensabile; quo casu etiam Judex decidere potest pro deflorata, & ad eam ducendam cogere deceptorem. 2º. Illo casu sponsus non tenetur secundam ducere ratione promissionis, utpote irritæ, & injustæ; nec ratione damni; cum illud aliâ viâ compensari posse supponitur. ergo priori Sponsæ manet jus integrum; nec cum ejus injuria potest in aliam transferri; & hujus rei signum dicit esse Martius, quod ex secundis his Sponsalibus nullum publicæ honestatis impedimentum contrahentur.

69. Ob. 1º. Per copulam fit quædam anticipata traditio corporis, ergo habebit vim validandi Sponsalia secunda, & dissolvendi priora. *arg. l. 15. C. de R. V.* ex cujus dispositione in re uni vendita, alteri verò (etsi cum primi emptoris injuria) insuper tradita, potius est jus posterioris. *Conf. Copula carnalis olim dissolvebat Sponsalia priora, & constituabat matrimonium cum Sponsa posteriore. c. 15. § 30. de Sponsal.* ergo hodie post Tridentinum, clandestina matrimonii sic contracta irritans, saltè retinebit vim dissolvendi prima Sponsalia; cum hanc vim Tridentinum nullibi sustulerit.

70. **B. D. Antec.** Fit traditio firma, & possessio-  
nem inducens (qualis solùm fit per matrimonium)  
**N.** fit traditio improprie dicta, & infirma, hoc est  
usus corporis, semper auferibilis conceditur, **C.**  
**Antec. & N. Conseq. & paritatem;** quia in casu  
posito, secundus Emptor favore juris verè fit  
possessor, & Dominus: unde si huic non dare-  
tur possessio, sed hâc ad tempus sibi reservatâ  
venditor solùm usum auferibilem illi concede-  
ret, non prævaleret Emptor posterior priori.  
Accedit; si talis traditio impropria vim habe-  
ret, quòd contra *c. 3. & 5. de Sponsa duor.* ali-  
quis posset matrimonium ratum dissolvere  
per matrimonium aliud, si hoc secundum  
dum consummaret: sicut Medina volebat à P.  
Wagnerek refutatus super *cap. 3. cit.* Ad conf.  
**B.** Copula carnalis maritali affectu, saltèm præ-  
sumpto, præstita, olim Sponsalia dissolvebat  
Conc. Copula, quam constabat esse fornicaria  
**N. Antec. & Conseq.** Ut passim Canoni-  
stæ docent sola copula maritalis constituebat ma-  
trimonium juxta dicta *n. 11.* Sponsaliorum dis-  
solutivum, non autem fornicaria, quæ teste  
Soto nec Sponsalia dissolvebat, eùm autem jam  
omnis copula extra matrimonium in facie Ec-  
clesiæ contractum, fornicaria sit, nulla Spon-  
salibus antecedentibus officit; quia nulla jam  
transit in matrimonium.

71. **Ob. 20.** Inter duos litigantes, quorum  
unus de lucro captando, alter de damno vitan-  
do certat, potiùs huic favendum est, quàm illi,  
ergo hic favendum est Sponsæ secundæ. **D.**  
**Antec. Ceteris paribus, vel si uterque sit inno-**  
eens

uens C. si primus est innocens, alter nocens,  
 N. Antec. & Conseq. Unde Zoësius ait: Talis  
 Sponsa damnum imputet suæ facilitati. R. 2<sup>o</sup>.  
 D. Antec. juxta dicta pro Conclusionem: Potius  
 huic favendum est per accidens & aliquando ex  
 charitate C. præsertim si alio modo damnum  
 compensari nequeat, per se, & de jure, & præ-  
 cisè ratione copulæ Sponsalibus secundis annexæ,  
 N. Antec. cum simili distinctione consequentis.  
 R. 3<sup>o</sup>. Potius huic favendum, quando alter agit  
 de lucro purè acquirendo, cujus nullum ad-  
 huc jus habuit C. si agat de lucro sibi debito N.

72. Notandum præterea est, quòd etiam pri-  
 ma Sponsa tali casu non rarò grave damnum  
 incurrat, ut si credatur à Sponso deseri tanquam  
 rea, aut suspecta de fide, aut aliis delictis; si  
 interim neglexit alias nuptias, nec earum post-  
 hac tam facilè spem habeat; nam fæminæ, in-  
 quit *Engel §. 3. n. 3. de Sponsal.* plerumque dif-  
 ficiliùs nubunt, si jam semel cum alio Spon-  
 salia, & ita nimiam familiaritatem habuerint;  
 si putabatur facilè & honestè alenda à Sponso,  
 si sumptus quosdam fecit in Sponsalia &c. Quis  
 jam credat, quòd ipsa injuria à perfido Sponso  
 in Sponsam priorem commissa, possit esse le-  
 gitimus titulus jus innocentis transferendi in  
 secundam, eamque nocentem?

73. Ob. 30. Vinculum minùs forte cedit for-  
 tiori; sic juxta n. 56. Votum cedit Sponsalibus  
 carnali copulâ confirmatis; hæc autem matri-  
 monio. Atqui vinculum, quo in nostro casu  
 Sponsus obstringitur Sponsæ secundæ, est for-  
 tius; quia est strictæ justitiæ; cum alterum sit  
 puræ

puræ liberalitatis, vel fidelitatis ex sola promissione ortum. Ergo. R. cedit illi, si non possit. utrique creditori satisfieri Trans. si possit, sicut hic potest, si primam ducat, & alteri damna compenset N. Maj. & permissa min. N. Conseq. R. 2<sup>o</sup>. N. min. Nam etiam primæ obligatur ex justitia, quia ex contractu legitimo utrinque oneroso, & valido: secundæ non obligatur ex contractu, utpote irrito, & injusto, sed ratione damni aliter reparabilis: stat etiam pro prima prioritas, possessio, innocentia, pericula damnorum num. præcedente insinuatorum, injuria, quæ ipsi fit; quibus omnibus consideratis per se vinculum cum priore fortius est; & quamvis aliàs sponsalia per copulam confirmata sint quid fortius, si sine injuria tertij contrahantur, quàm sola sponsalia in se considerata, tamen ista legitimè celebrata videntur de jure esse quid fortius, quàm illa, si fiant cum injuria tertij. Ad paritatem de voto responsum est *num. 61.* De matrimonio aliud est, quia illi juxta *num. 11.* contra sponsalia jus assistit, propter ejus indissolubilitatem, & reverentiam Sacramenti, nihil tale urget pro sponsalibus copulâ confirmatis.

74 Ob. 4<sup>o</sup> Secunda sponsa præcisè sub hac conditione, ut in uxorem assumeretur, concessit corporis sui usum, cui non potest aliter satisfieri, quàm per matrimonium; ergo cum illa quasi pretiò depositò ex sua parte contractui satisfecerit, etiam sponsus satisfacere tenetur. R. concessit sub hac conditione præjudicante tertio,

tio, adeoque turpi, & jure impossibili, juxta p. 2. n. 12. contractum vitiant C. Antec. sub conditione honesta N. Antec. D. etiam Conseq. Tenetur Sponsus satisfacere, si possit sine injuria primæ sponsæ, jure suo juxta num. 68. ex charitate cedentis C. si non possit N. Conseq. Etiam Sponsa prima præcisè sub conditione, & spe matrimonij contraxit; cur ergo cedat nocenti? nunquid hoc esset ansam dare, ut Sponsi prohibitu dissolvant Sponsalia; in præmium duplicis delicti, nempe fornicationis, & fractæ fidei sponsam aliam accepturi. An non ipsa fornicaria damni sui causa est, non ignara puellas sæpissimè, sub incerta spe matrimonij solere decipi: cur ergo præferatur innocenti? huicne obsit, quòd simili scelere se cum Sponso non contaminaverit?

75. Ob. 5<sup>o</sup>. Mutuus consensus fortior est simplici. atqui sponsus cum secunda sponsa habet consensum mutuum insuper carnali copulâ stabilitum; respectu primæ sponsæ autem est consensus simplex in sponsa; ipse enim ex parte sua consensum abruptit, & ad secundam se convertit. ergo. Hoc argumentum contra num. 11. probaret, quòd etiam absque interventione copulæ, secunda sponsalia, imò omnis alius contractus prior per posteriorem dissolveretur; ità ut nullus firmus persisteret. In forma 19. Mutuus consensus validus, est fortior simplici C. invalidus, sicut est hic secundus consensus sponsalitus N. Maj. D. etiam min. habet consensum mutuum invalidum Trans. validum N. min. &



Conseq. Nec obest, quòd ille consensum primū  
physicè, & entitativè abrumpat; quia non potest  
eum abrumpere moraliter, de jure, & quoad  
vim obligandi: unde in re, & quoad valorem  
primus est adhuc mutus, adeoque fortior;  
quia secundus ex parte Sponsi non tenet, nè ex  
suo dolo & malitia fructum ferat; contra *C. In-  
telleximus 7. de Judic.*

76. Ob. 60. Quamvis secunda Sponsa non  
mereatur favorem, ut primæ præferatur; ta-  
men præferenda est ratione prolis susceptæ,  
alioquin grave damnum passuræ, ut *Gobat* do-  
cet n. 327. addens cum Tamburino Sponsum in  
tali casu teneri ad dispensationem petendam, si se-  
cunda Sponsa ab eo cognita, fuisset primæ consan-  
guineæ in secundo gradu. ergo. R. 10. D. Antec.  
præferenda est per accidens ex charitate, si pri-  
mæ Sponsæ parvum, aut nullum damnum ob-  
veniat C. per se, ex justitia, aut præcisè ratione  
copulæ N. Antec. R. 20. N. Antec. Nam de ju-  
re nemo tenetur damnò suò impedire damnum  
alienum etiam innocentis. Sic non teneor suc-  
currere palatio Ucalegontis, casâ meâ flammis  
relictâ. Hoc casu tamen Sponsus obligaretur ad  
providendum Proli: Et nisi obstarent priora  
Sponsalia, nec secunda Sponsa in damnum pro-  
lis posset à matrimonio urgendo desistere,

ut docet *Lugo in Respons. Mo-  
ralib. dub. 44.*



QUÆ

QUESTIO V,

An matrimonium superveniens omnem vim, & obligationem Sponsalium precedentium cum alia contrahentium extinguat.

Ex num. 11.

77. **A**ffirmat Sanchez l. 1. D. 48. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 22. Pirrhing de Sponsal. n. 59. Præter Veteres apud Sanchez, ab his & Mastrio citantur Tanner, Dicastillo, Bonacina, Tancradus, Becanus, Lessius, Fillius. Steph. à S. Gregor. Negat Palau de Sponsal. D. 1. p. 21. n. 4. Zoësius n. 34. König n. 62. super tit. de Sponsal. P. Wex in Opusculo Canonico Trid. de Sponsal. p. 1. § 7. n. 13. Mastrius de Matrim. Sacrm. D. 7. n. 310. Apud hos Pontius, Tamburinus, Haunold, Coninck, Sporer, Henricus Majer, Hurtadus, Aversa, Caspensis, Herinck, & plures apud Sanchez. Propendet Ilfing tr. 6. D. 9. n. 25. & Busenbaum, utramque ut probabilem refert Oberascher. Probatur negativa 1<sup>o</sup>. Matrimonium superveniens non extinguit priorem Sponsalium obligationem ex natura rei; compatitur enim illa, se cum matrimonio; quamvis executio ejus sit suspensa; sed neque eam extinguit jure positivo; quia textus ab adversariis citari soliti tantum dicunt talem maritum debere manere cum conjugē; an verò primæ Sponsæ fidem servare teneatur, si matrimonium dissolvatur, sive per

☉

mar

mortem, sive per ingressum alterius partis in Religionem, nihil decidunt. ergo. 2<sup>o</sup>. Matrimonio Superveniente non extinguitur votum castitatis, vel ingrediendæ Religionis; sed tantum suspenditur, juxta dicta n. 56. ergo nec Sponsalia extinguuntur; præsertim cum Sponsalia de se fortius ligent, quia ex justitia, quam votum, obligans ex virtute Religionis. 3<sup>o</sup>. Matrimoniô per mortem alterius partis, vel per ingressum Religionis dissolutô, cessat impedimentum, quod obstabat, quò minus implere possit talis maritus sponsalia Eprius inita. ergo si Sponsa deserta obligationem non remisit, & expectavit, tenebitur eam implere. 4<sup>o</sup>. Iniquum est, ut perfidè per superinductum matrimonium resiliens à Sponsalibus, ex hac sua malitia lucrum reportet, cum damno Sponsæ relictæ; *arg. Cap. 7. de Judio.* hoc autem reportaret; nisi priori Sponsæ post dissolutum matrimonium maneret obligatus.

78. Ob. 1<sup>o</sup>. Nequit fieri, *ut obligatio, que soluta est, iterum contrahatur. c. Quæris 129. de Consecr. Dist. 4. & in perpetuum sublata obligatio restitui non potest. l. Qui res. 98. §. Arcam. ff. de solut.* Atqui Sponsalia per matrimonium superveniens sunt soluta, & extincta. *c. Si inter penult. de Sponsal. c. 1. de Sponsa duor. c. ult. XXVII. q. 2.* ergo. R. C. Maj. N. min Nam *c. si inter.* tantum dicitur, quòd tali casu *secundum matrimonium non debeat separari;* & in duobus alijs locis; quòd *debeat cum illa manere, quam duxit: non enim rescindi tantum debet Sacramentum.* Nullibi autem in-  
 sinua-

sinuatur, quod obligatio præcedens penitus pereat. ergo manet; sicut juxta adversarios manet obligatio reparandi damna prioris Sponsæ illata. R. 2º, D. min. sunt soluta, & extincta ex parte desertæ Sponsæ C. min. ex parte deferentis, seu illius, qui duxit, N. min. Nam ex hujus parte tantum suspensa sunt, & sopita.

79. Ob. 2º. Vinculum fortius penitus extinguit minus forte, quando sunt ejusdem rationis: sic qui post votum à se de certa Religione intrandi emissum Religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, & profitetur in ipsa, potest (voto non obstante priore, cui tanquam simplici per secundum solenne noscitur derogatum) manere licite in eadem c. 5. de Regular. in 6. Atqui matrimonium est vinculum fortius, quam Sponsalia, & quidem ejusdem rationis; nempe justitiæ erga hominem. ergo hoc illa penitus extinguit. Conf. Præcedens votum castitatis, aut ingrediendæ Religionis non extinguitur penitus per matrimonium; sed tantum suspenditur, & impeditur; quia sunt vincula diversæ rationis: ergo è contra cum matrimonium, & Sponsalia sint ejusdem rationis, hæc per illud extinguentur.

80. R. D. Maj. Vinculum fortius extinguit minus forte, si fortius sit indissolubile, & consequenter perpetuò incomponibile cum minus forti C. Maj. si sit dissolubile (sive sit ejusdem, sive diversæ rationis) & cum altero componibile N. Maj. & C. min. N. Conseq. Ideo ergo per professionem extinguitur votum ingrediendæ Religionem strictiorem; quia cum professio  
hoc

hoc rerum Ordine indissolubilis sit; ita ut semel professus non possit fieri non professus, nunquam poterit voto alteri Religionem strictiorem ingrediendi satisfieri; adeoque frustranea esset illius obligatio suspensa: è contra autem cum possit matrimonium sive per mortem, sive per ingressum alterius partis in Religionem dissolvi; potest obligatio priorum Sponsalium suspensa manere in marito prius desponsato, & impedimentò oblatò suam vim exequi. Imò notandum est, quòd nec professio Religiosa votum prius quoad effectus cum illa compossibiles penitus extinguat: nam 1.º juxta *c. 5. cit.* Est tali pro voto non impleto pœnitentia imponenda, ut saltèm per hanc satisfaciatur, cum votum implere nequeat. 2.º dicitur tali voto *derogatum*: derogatio autem non est abrogatio, vel totalis extinctio; unde teste Mastrio talis professus obligaretur ad ordinem strictiorem ingrediendum, casu quo Ordo illius laxior extingueretur. 3.º Ibidem tantùm dicitur, quòd talis in Religione licitè manere possit: hoc autem dicimus etiam de marito in nostro casu, quòd possit, imò debeat manere in matrimonio, quamdiu illud non irritatur per mortem, vel professionem compartis. Denique ulterior adhuc disparitas quoad professum est; quia professio in nullius præjudicium cedit, & Deus censetur eam acceptare tanquam aliquid perfectius sibi oblatum locò prioris voti; matrimonium autem cum alia contractum, cedit in prioris Sponsæ præjudicium & injuriam. Ad conf. R. *Causa-  
lena*

lem illam nec in rei natura, nec in jure esse fundatam; unde do aliam; nempe non extinguere votum præcedens; quia votum est aliquando implebile, nempe matrimoniò dissolutò; adeòque ejus obligatio, licèt suspensa, componi potest cum matrimonio.

Ob. 30. Res priùs unisimè traditione, & postea alteri vendita cum extraditione, ità se cundè emptoris est, ut primo emptori nullum jus ad eam amplius remaneat. *arg. l. 15. C. de R. V.* quamvis venditor interesse, aut alias injurias compensare teneatur: ergo etiam maritus ità suò corpus uxori extrahit, ut Sponsæ præcedenti in illud jus nullum remaneat. *R. D. Antec.* Ut primo emptori nullum jus ad eam maneat, quamdiu illa est sub dominio secundi emptoris *C. si ea redeat ad venditorem N. Antec.* Nam hìc eo casu cogi potest, ad eam tradendam primo emptori, nisi eidem priùs satisfactum fuerit teste *Zoes. cit.* ergo pariter maritus, ad quem per mortem conjugis jus sui corporis redit, Sponsæ illud per matrimonium extradere tenetur.

82. Ob. 40. Maritus sciens se adhuc spem habere præcedentis Sponsæ, posset suæ conjugæ mortem machinari; vel ipsa Conjunx ex Zelo-typhia eandem procurare posset priori Sponsæ: ergo potius dicendum est priorem obligationem penitus extinguere. *R. 10.* Hunc effectum prorsus per accidens sequi posse; nec indè esse sufficientem causam, ut prima Sponsa suo jure privetur. *R. 20.* Hoc potius sequi ex Sententia Adversariorum; Nam maritus, si uxor sibi displicere inceperit, eam faciliùs è medio tollet, si sciat

si sciat se fore liberum ad quamcunque aliam ducendā, quā si putet se ad unam, & jam semel repudiatam Sponsam alligandum: Similiter uxor non itā suspectos habebit amores mariti erga præcedentem Sponsam jam semel repudiatam, & uxori postpositam; nec à marito quidpiam mali metuet, sicut metueret, si sciret ei superesse libertatem finitō matrimoniō quamcunque ducendi. Accedit, quòd prior Sponsa utrique exosa erit, si illa prætenderit jus suum, & sic non erit periculum specialis amoris erga eam in marito, nec Zelotypiæ indè orituræ in uxore.

## QUÆSTIO VI.

*An Sponsalia dissolvantur per fornicationem Sponsæ vi oppressæ?*

*Ex num. 13.*

83. **N**Egant hoc apud Sanchez & alios *Tabiena, Armilla, Rainerus, Hugo, Rosella*. Melius affirmat Sanchez cum multis *l. i. D. 55. n. 7. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 11. Palaus D. 1. p. 25. n. 5. Geb. de Spons. n. 328. Bonacina de Spons. q. 1. p. 8. n. 1. Ilfing, Pirrhing, Zösius, Vallensis, König, Diana, Oberascher, Spor. Mastrius, & apud hos multi. Probatur 10. Sponsus non tenetur recipere Sponsam sibi raptam, quamvis possit: ergo multò minùs recipere tenetur ab alio corruptam; præsertim cum periculo alendæ prolis alienæ. Antec. prob. c. *Raptor* 33. XXVII. q. 2. ubi dicitur: *Raptor pœnitentiâ publicâ mul-ctetur; raptam verò si Sponsus accipere noluerit, & illa eidem crimini consentiens non fuerit,**

*fuerit, licentia nubendi alij, non negetur.* 2<sup>o</sup>.  
 Talis Sponsa notabiliter mutatur, & fit vilior:  
 ergo juxta *num. 22.* potest rejici. 3<sup>o</sup>. Con-  
 tractibus, præsertim Sponsalitiis, inest hæc ta-  
 cita conditio: *Rebus sic stantibus, vel in eo-*  
*dem statu permanentibus. c. 25. de Jurejur.*  
*l. Cum quis 38. ff. de solutione.* ergo Sponsa  
 tam notabiliter mutatâ, non potest Sponsus  
 obligari ad fidem servandam; præsertim cum  
 rarò constet: an revera vis sit illata, quem enim  
 testem illa pro se adducere poterit? 4<sup>o</sup>. Vir per  
 talem Uxorem fieret bigamus, & inhabilis ad  
 Ordines Sacros. ergo etiam ex hoc habet cau-  
 sam resiliendi.

84. Ob. 1<sup>o</sup>. *Can. Desponsatas. 46. XXVII. q.*  
 2. dicitur: *Desponsatas puellas, & post ab*  
*aliis raptas, placuit erui, & reddi eis, qui-*  
*buis interea fuerant desponsatae, etiamsi il-*  
*lis à raptoribus vis illata constiterit,* ergo  
 talis vis non dirimit sponsalia. R. 1<sup>o</sup>. juxta  
 Glossam: Canonem intelligi de desponsatis in  
 præsentem, sive de Uxoribus. Cum verò puel-  
 las vocet. R. 2<sup>o</sup>. Tales Sponsas reddi quidem  
 debere, casu quo Sponsi eas recipere, & matri-  
 monium inire velint, ad quod tamen non ob-  
 ligantur.

85. Ob. 2<sup>o</sup>. Uxor vi ab alieno corrupta, non  
 potest repelli à toro, *l. vim passam. 39. in*  
*princip. §. 4. ad leg. Jul. de Adult.* ergo  
 nec Sponsa repudiari potest. R. N. Conseq.  
 disparitas est: Quia matrimonium etiam quo  
 ad torum difficilius solvitur, quàm Sponsalia:

*Nam*



*Nam turpius ejicitur, quam non admittitur hospes. c. quemadmodum de Jurejur.*  
20. Ex divortio sive separatione à toro, regulariter gravia pericula incontinentiæ imminēt, separatis; cùm illis non liceat ad alia vota transire, ergo non nisi ob gravissimas causas in jure expressas ea separatio tolerari debet, similes effectus non trahit secum dissolutio Sponsalium,

86. Ob 30. Talis Sponsa est inculpabilis: nam *non nisi voluntate peccatur. c. 5. & violentiâ non violatur pudicitia, si mente servatur c. 9. XXXII, q. 5.* Neque etiam fidem fregit, aut suspecta esse potest de frangenda impoſterum; aliâs non vi adacta, sed spontè consensisset. Ergo non meretur repudiari. R. D. Conseq. Non meretur ob causas insinuatâs C. Conseq. non meretur ob notabilem mutationem sub D. non meretur merito involvente culpam C. Conseq. merito improprie dicto involvente causam dissolutionis (qualis etiam esset v. g. inculpabilis morbus) N. Conseq. Docet tamen Laym. cum Sanchez, Sponsam rejici non posse, si de ejus innocentia palam constet, quòd tali casu non censeatur multùm vilior esse facta.

87. Ob 40. Sponsus vim passus non posset repudiari à Sponsa, ergo nec hæc ab illo. Respondet *Toletus & Gutierrez* apud *Palauum*, id vix fieri posse. Sed dato casu N. Antec cum *Glossa Navarro*, *Guttier*: saltèm si Sodomitica esset copula, ut limitat *Palauus*: nam etiam dedecorosum est nubere Sponso, licèt coactè fornicario, aut Sodomitæ: quia insuper su-

specius

spectus haberi potest, nè spontè consenserit, cum viri rarò cogi soleant. *Ex. 20. cum Sanchez & Pontio*: permissò Antec. N. Conseq. quia fornicatio Sponsi non sic immutat corpus, nec per eam iudicio hominum ille tam vilis redditur, sicut Sponsa. Aliud est juxtà dicta *n. 13.* si fornicaretur voluntariè.

88. Ob *50. Ex c. 25. de Jurejur.* Sponsus nequit Sponsam dimittere propter fornicationem antecedentem Sponsalia, licèt voluntariam. ergo multò minùs propter involuntariam, licèt subsequentem. Resp. D. Antec. Non potest eam dimittere, si rei conscius nihilominus Sponsalia contraxit, aut contracta juramentò, vel copulâ carnali confirmavit C. Antec. si rei priùs ignarus talem deprehenderit. N. Antec. & Conseq. Vide dicta *n. 14.*

## QUÆSTIO VII.

*An si uterque, Sponsus & Sponsa cum aliis fornicentur, soli Sponso, an verò etiam Sponsæ acquiratur jus resiliendi à Sponsalibus?*

*Ex num. 15.*

89. Solum Sponsum tali casu resilire posse, docent communiter Authores: ut Sanchez l. 1. D. 55. n. 9. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 12. Pyrrhing. n. 62. Zoësius n. 42. König n. 73. super tit. de Sponsal. Mastrius Diss. 7. de Matr. Sacr. Q. 10. n. 315. Diana, Spon-  
P ver,

*rer, Oberascher.* multiq̄ue alii apud hos citati. Neutrum resilire posse vult *Paludanus apud Sanchez, Bonacinna T. I. de Sponsal. p. 8. n. 6. Stephanus à S. Gregor. apud Mastrium, Busenbaum* etiam citat *Palaum*; sed minùs accuratè. Demum potestatem utriq̄ue resiliendi concedit *Palau* *Disp. I. p. 25. num. 10.* Hunc sequitur *Ilung Tr. 6. D. 9. n. 28.* apud hunc *Tanner Disp. 8. n. 62. Amicus D. 22. num. 59.* Prima sententia autoritate suâ fortè prævalet in Tribunalibus; argumentis tamen firmior, ideoq̄ue tuta in conscientia videtur opinio tertia, & quia paucorum est, eam pluribus.

90. Probo 1<sup>o</sup>. Fornicatio est tacita, & virtualis renuntiatio Sponsalium: ergo sicut per utriusque renuntiationem; quamvis una foret culpabilior, quàm altera, cessant Sponsalia utrinque formaliter, & explicitè, ità per utriusque fornicationem, cessabunt saltèm tacitè, virtualiter, seu radicaliter; ità ut utriq̄ue parti dent jus resiliendi. Conf. Sponsus scit, Sponsam eo ipso accipere jus resiliendi, si ipse fornicationem commiserit: ergo si nihilominus fornicetur, eo ipso tacitè renuntiat juri suo, quod habet in Sponsam: ergo Sponsa non ampliùs obligata, etiam ex sua parte resilire potest, sive tacitè, sive expressè, sive illa de reliquo fuerit nocens, sive innocens. 2<sup>o</sup>. Quamvis Sponsæ fornicatio fædior sit, quàm Sponsi, nihilominus hic fidem actu violat, & dat Sponsæ sufficientem causam resiliendi, quæ causa non tollitur per  
Sponsæ

Sponsæ fornicationem ; nec Sponsa eam ultrò remittit. ergo hâc manente, etiam Sponsa habet jus recedendi. 3°. Juxta ipsum P. Sanchez D. 53. num. 6. uterque resilire potest, quando uterque culpabilis fuit in urgenda executione Sponsalium pro termino præfixo procuranda ; nec fit ulla mentio more magis, aut minùs culpabilis in uno, quàm in altero. Similiter juxta dicta num. 26. utriusque fas est resilire, si uterque in extremam paupertatem incidat, vel si utrinque ea fieret mutatio, ob quam non posset sperari pax, & amor ; sed mera diffidentia & Zelotypia, mutua odia &c. ergo etiam possunt resilire, si uterque per fornicationem (quamvis inæqualiter) mutetur : nam & sic utrinque sufficiens causa datur mutui odii, & infelicis matrimonii. 4°. Si Sponsus priùs fornicetur, cessat immediatè obligatio in Sponsa ; ità ut jus acquirat immediatè resiliendi, nec ea obligatio reviviscit per hujus subsequenter fornicationem : ergo etiam cessat, si uterque fornicetur eodem tempore : nam sive concomitans, sive antecedens, sive subsequens fornicatio Sponsæ, non facit Sponsum fidelem, aut inculpabilem ; adeoque nec sibi illa aufert jus resiliendi. 5°. In Sponsalibus utrinque ea conditio involvitur tacita : manebo constans, si compar *contra regulam desponsationis non venerit. c. Quemadmodum de Furejur.* nempe per fornicationem, aut aliud impedimentum : ergo conditio neutrinque cessante, etiam utrinque cessat debitum in fide perseverandi : sicut si duo promississent

fissent commutare equos, sub conditione utrinque: si non fuerit claudus, neuter postmodum obligaretur ad contractum, si utriusque equus, quamvis unus magis, quàm alter, claudicaret: quia nimirum uterque convenerat de equo non claudo: Idem est, si duo simul contraherent sub hac conditione: Si manserimus sani.

91. Ob. 10 Fornicatio Sponsæ multò foedior est, quàm Sponsi. *arg. l. Etsi crimine. c. ad L. Ful. de Adult. & L. Palàm. ff. de ritu nupt.* ergo non possunt mutuò compensari; quia compensatio tantùm fit inter æqualia: ergo quamvis Sponso jus resiliendi competat, non competet Sponsæ. Conf. Mater adultera non potest filiam fornicariam exhæredare, licet eam exhæredare possit Pater adulter. *l. in Arenam C. de inofficioso testamento*: quia nimirum adulterium Matris longè rursus est, adulteriò Patris: ergo pariter turpior est fornicatio Sponsæ, quàm Sponsi. R. Antec. aliunde verum esse ex n. 15. Sed per leges in antecedente, & in confirmatione positas, & à multis citatas, penitus non probari; ut cui libet eas inspicienti patebit; unde verificatur illud Patris Haunoldi *in præfatione ad suos Tomos de F. & F. dicentis*: Sæpe allegari solere leges *equè facile ineptas, ac aptas ad probandum; & hoc adeò esse frequens, ut nemini sit ignotum, qui ipse inspexerit.* Melius adducta fuisset *l. 1. C. ad L. Ful. de Adulter.* ubi viro conceditur criminalis actio adversus adulteram, non verò uxori adversus adulterum. Jam in

forma

forma. **R. C.** Antec. **D.** Consequens : ergo non possunt compensari in ratione delicti, vel infamiae, vel turpitudinis, vel damni ex fornicatione oriri soliti **C.** ratione mutuæ renuntiationis virtualis, vel fidei fractæ, vel conditionis non impletæ **N.** Conseq: In hoc enim æquales sunt illæ fornicationes, secundum illud : *Apud nos, quod non licet fæminis, aequè non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur.* c. 20. XXXII. q. 5. **R.** Ergo non possunt compensari secundum turpitudinem, & injuriam, quam sibi inferunt **C.** secundum sufficientiam causæ ad resiliendum **N.** sic à pari duo impedit impedimentò cognationis, unus in secundo alter in 3<sup>o</sup>. gradu, impediuntur æqualiter à matrimonio contrahendo, vel si contracto superveniant, à debito petendo quoad causæ sufficientiam; non tamen æqualiter in gravitate impediti; unde etiam unius dispensatio difficilior est, quàm alterius. Simile quid esset, si Sponsus cum sorore Sponsæ, & hæc cum Nepote Sponsi fornicaretur, utriusque impedimentum esset æquale, quoad sufficientiam, non quoad gravitatem: Sæpe etiam in aliis rebus idem effectus haberi potest, per causas inæquales; v. g. mors per morbum, vel per gladium. & ipsa fornicatio Sponsi, aut Sponsæ, quamvis turpitudine inæquales sint, quælibet singularem de se sufficit ad Sponsalium rescissionem: ergo etiam sufficiet ad rescissionem mutuam, si committatur ab utroque. Ex his patet responsum ad confirmationem,

92. Ob. 2<sup>o</sup>. Quia fœdiora sunt oscula, & amplexus in Sponfa, quàm in Sponfo; ideo propter hæc à Sponfa commissa, Sponfus resilire potest, non autem vicissim Sponfa, si Sponfus talia committat. ergo idem dicendum est de fornicatione. *R.* Antec. communiter quidem concedi juxta dicta *n.* 15. valde tamen probabiliter negari à Palao, & hoc teste à Doctissimis Neotericis: quia taliter etiam Sponfus se suspectum reddit de fide, & amore conjugali, violatq; promissionem, quâ spondit reservationem sui corporis pro sola Sponfa. Sed aliter *R.* Causalem non esse adæquatam: non enim ideo tantum, quia fœdiora sunt, potest Sponfus resilire; aliàs etiam resilire posset, si adverteret Sponfam esse curiosam in viris aliis aspiciendis; quia hæc curiositas illaudabilior est in Sponfa, quàm in Sponfo: unde causali addendum est: quia fœdiora sunt fœditate tanta, quæ de se *absolutè* sufficiens causa sit resiliendi, ad quem gradum oscula Sponfi, judicio communi non ascendunt: cum autem fornicatio sponfi *absolutè* accepta, eousque ascendat, ut patet, si solus fornicaretur, ex rationibus Concl. etiam ille rejici potest à Sponfa fornicaria: sicut si duo sibi invicem permutassent res vitiatas, & sibi non valituras, posset uterque contractum rescindere.

93. Ob. 3<sup>o</sup>. *Juxta C. Intelleximus 6. de Adult.* Si uterque conjunx adulteretur, neutri resilire licet à toro; ita ut delicta sibi invicem compensent; ergo etiam, dum uterque Sponfus fornicatur, si non licet uni resilire præ altero, potius

potius dicendum est, neutri licere. *R. C. Antec. N. Conseq.* 1<sup>o</sup>. quia pro priori casu stat clarum jus, non pro altero. 2<sup>o</sup>. propter pericula incontinentiæ, & adulteriorum *n. 85.* insinuata, plus requiritur pro divortio, quam pro rescissione Sponsalium: ergo si pro hac sufficiens causa adsit; licet non suffectura pro divortio, poterunt Sponsalia utrinque rescindi: præsertim cum hæc sententia favorabilis sit utrique parti, dans libertatem quærendi Sponsum, aut Sponsam fideiorem; & tollens occasionem infelicium eventuum, qui ex matrimonio infidelium Sponsorum oriri possent; potissimum ex eo, quod post hæc neuter alteri fideret.

94. *Ob. 4<sup>o</sup>.* Si Opifex Mercatori debeat centum, & hic Opifici pro labore ducentos; ad nihil tenebitur opifex, si Mercator illi non solveret; quamvis adhuc obligatus maneret Mercator, si ipsi opifex nollet solvere: quia plus debet Mercator, quam Opifex: ergo etiam cum majus sit debitum Sponsæ fornicantis; quam Sponsi, hic ad nihil obligabitur, si resiliat; quamvis adhuc Sponsa obstricta maneat, utpote majori debitò gravata. *R. C. Antec. N. Conseq.* *Dispar. est* 1<sup>o</sup>, quia Sponsus, & Sponsa habent æquale jus ad Sponsalia, consequenter etiam æqualiter retinent, aut perdunt; debita autem illa Mercatoris, & Opificis non sunt æqualia. 2. Mercatori solvuntur per hoc ipsum sui centum floreni, quod Opifex vicissim illi centum remittat; licet adhuc restent alii centum à mercatore solvendi ex ducentis, ita ut



mutua æquali remissione debiti centum florenorum, nulli fiat injuria: fieret autem injuria Sponsæ, si illa jus in Sponsum perdat ratione fornicationis suæ, & non vicissim Sponsus illud perdat, cum in ratione fidei violatæ æqualiter rei sint.

## QUÆSTIO VIII.

*An ubi pro Sponsalium executione terminus præfixus est, mora inculpabilis præstet alteri parti sufficientem causam resiliendi?*

*Ex num. 19. & 20.*

95. **N**egativa placet *Sanchezio l. 1. D. 53. n. 7.* & pluribus, quos citat; item *Patrio Sporer*, & apud *Palauum & Mastrium, Pontio, Guttier, Tancredo, Bonacin. Caspensi. Maurus Oberascher* suadet servandam loci consuetudinem. Præplacet affirmativa, quam tenet *Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 17. Palauus D. 1. p. 24. n. 8. Iljung Tr. 6. D. 9. n. 27. König de Sponsal. n. 69. apud hos Navar. Cozinck. &c. Anton. Cuchus de Sponsal. n. 68. Prob. 10. Ex c. sicut 22. de Sponsal. ubi ab obligatione Sponsalium simpliciter liber declaratur is, per quem non stetit ea perfici; nec quaeritur, an mora alterius partis fuerit culpabilis, an inculpabilis. 20. Terminus in celebratione Sponsalium præfigi solet ad finiendam obligationem tanquam conditio: ergo illo etiam in-*

culpa.

culpabiliter præterlapso, tanquam conditione non impletâ, cessat obligatio; nec ultra extenditur. Sicut si quis promississet equum alteri commodare per tres Menses, illis finitis cessaret in promittente obligatio; quamvis alter etiam inculpabiliter, equo interim uti non potuisset. 3<sup>o</sup>. Promissio aut contractus non obligat ultra intentionem contrahentium; *nam contractus ex conventionem legem accipiunt R. 85. 7. in 6. & l. 23. ff. de R. J.* Atqui Sponsi præfigentes terminum non intendunt se ultra illum obligare. ergo. 4<sup>o</sup>. Ideo præfigi solet terminus in Sponsalibus, quia longior expectatio est incommoda, periculo incontinentiæ exposita, alterius connubij neglectiva &c. Atqui eadem incommoda sequuntur ex mora inculpabili ultra terminum protracta. ergo etiam habent idem jus resiliendi. Notandum hic præterea ex Bonacin. quamvis terminus præfixus non esset, posse partem, ob nimiam moram alterius resiliere. *de Sponsal. p. 6. n. 7.*

96. Ob. 1<sup>o</sup>. *Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta esset. R. 66. 7. in 6.* ergo mora inculpabilis in præfixo termino servando, non nocet. Conf. *Juxta cap. 22. de Sponsal.* absolvitur ille ab obligatione Sponsalium, *per quem non stetit*, quò minus suo tempore Sponsalia executioni darentur; ita ut tali innocenti mora inculpabilis non obfuerit. ergo ea nulli nocet. *ix. cum Laym. & Palao,* Regulam solùm habere locum in promissione

libertatis, in legatis, & aliis institutionibus, in quibus jus pro liberalitate benignè interpretatur voluntatem concedentis, quòd non velit re liberaliter donatâ privare eum, qui sinè sua culpa conditionem ponere omittit; aliud est de contractibus utrinque onerosis, & obligationem sortientibus ex intentione contrahentium; ut ipse Sanchez notat *lib. 1. D. 33. num. 21.* ergo in illis non tenetur contrahens novum onus expectationis subire, in quod nunquam consensit, imò quod præfixo termino positivè exclusit. R. 2<sup>o</sup>. D. Conseq. ergo mora inculpabilis non nocet, ubi tantùm præfigitur terminus obligationis sollicitandæ, non verò finiendæ, neque per modum conditionis sinè qua non C. ubi præfigitur terminus obligationis finiendæ (juxta dicta n. 20.) & per modum conditionis sinè qua non (ut fieri solet, quando ipse non primò post Sponsalia inita, sed in ipsis immediatè apponitur) N. Conseq. Ad conf. R. Illud Capitulum nobis favere; nam altera pars, per quam sive culpabiliter, sive inculpabiliter steterat, quòd Sponsalia suo tempore non impleverentur, non fuit absoluta, ità ut illa quidem fuerit obligata, quousque compars eidem renuntiaret. R. 2<sup>o</sup>. Absolvitur ille, per quem non steterat, id est, qui nec culpabilis, nec inculpabilis causa fuit moræ. C. absolveretur, si etiam inculpabilis causa fuisset N. Nam sic non auderet resilire; quamvis altera pars resilire potuisset, si hæc quamcunque causam moræ dedisset.

97. Ob. 2<sup>o</sup>. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* R. 41. 7. in 6. quam Streinius multis exemplis declarat: ergo nihil debet imputari ei, qui non contrahit tempore præfixo, si per eum non stetit, hoc est, si contrahere suo tempore non potuit; adeoque expectandus erit. R. D. Conseq. Ei qui non contrahit tempore præfixo non debet imputari in culpam, vel pœnam propriè dictam; vel extra casum contractûs, vel ubi non ponitur terminus per modum conditionis, & finiendæ obligationis C, sic juxta *c. Commissa 35. §. 1. de Elect. in 6.* Parochus, qui *ex justo impedimento* non fit per annum Presbyter, non debet privari Beneficiô, quô privandus esset ob moram culpabilem: Imputari non debet in damnum, & ex contractu per certi termini præfixionem conditionato, N. Conseq. Certè quamvis Sponsa si- nê omni sua culpa ægrotaret, Sponsus eam ducere non teneretur, si conditionatè contraxisset: *Ducam Te, si manseris sana. Sic cum uni- ità legatum sit: Titio si Sejam Uxorem duxerit, hæres meus centum dato. Siquidem Seja moriatur, defectus conditione intelligitur. l. in testamento 31. ff. de Condit. & demonstrat: Quæ hic obsecro culpa est in Titio, quòd legatô privetur?*

98. Ob. 3<sup>o</sup>. Legitimè impedito non currit tempus, ut habetur *c. quia diversitatem de Concess. Prab. & l. 1. §. fin. C. de Annali except.* ergo à pari. R. Non currit tempus, ut pœnæ reus

reus fiat; vel jure quæsito privetur, vel extra contractum præfixione termini conditionatum C. Non currit in dicto contractu. N. Antec. & Conseq.

99. Ob. 4<sup>o</sup>. In pignore non est licitum pactum legis Commissariæ; ità ut jus ad pignus perdat, qui illud tempore præfixo non redimit. *c. Significante 7. de Pignor*: Ergo nec licet præfigere terminum pro Sponsalibus implendis, sic, ut etiam inculpabiliter ea non implens perdat jus ad compartem, suo tempore implere paratam. R. C. Antec. N. Conseq. quia illud pactum ibi positivè prohibetur; utpote usurarium; & fraudulentum, ut declarari solet super *tit. de Pignor*. nihil tale inest Sponsalibus, cum præfixione termini initis, ergo valent, sicut alij contractus, v. g. emptionis, quibus dies præfixus est. *l. 1. & 2. ff. de lege Commiss. l. si fundus. §. fin. ff. de Pignor*.

100. Ob. 5<sup>o</sup>. Creditor solutionem præfixo tempore ex inculpabili impedimento non petens, aut recipiens, jus retinet ad eam alio tempore urgendam: ergo etiam Sponsus, suo tempore impeditus ad implenda Sponsalia, urgere ea potest alio tempore. R. C. Antec. D. Conseq. Potest ea urgere, si terminus præfixus est ad obligationem sollicitandam tantum C. si ad finiendam, ut communiter fit, quando non posterius per alium contractum, sed in ipsis Sponsalibus præfigitur N. Conseq. vide dicta *num. 20.*

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

*An notabilis deformitas Sponsæ super-  
veniens, sit Sponso causa sufficiens  
dissolvendi Sponsalia?*

*Ex num. 25.*

101. PRO negativa citantur *Covarruv. Alex. Carrerus, Matienzo, Ludov. Lopez, Gutierrez, & alij.* Probabilior est opposita: Hanc tenet *Sanch. l. 1. D. 52. n. 4. Palaus D. 2. de Sponsal. p. 27. n. 5. Unde Canisius super tit. de furt. ex Gomez ait: In muliere, quæ nuptura est, videtur habenda ratio deformitatis. Ilfing Tr. 6. D. 9. n. 29. Vallensis de Sponsal. n. 9. König n. 77. Sporer Tyroc. Sacram. de Matrim. c. 1. n. 217. & hoc teste gravissimæ Doctores. Paulus Zachias Quæstionum Medico-Legalium Decis. 53. n. 69. & alij. Prob. 1º. Juxta c. *Quemadmodum de jurejur.* Aliæ mutationes notabiles sunt causa sufficiens dirimendi Sponsalia; quia per eas displicere Sponsa incipit; ita ut infelices timeri exitus possint, ut docent *S. Th. Sotus, Innocentius apud Sanch.* ergo & hæc mutatio: præsumi enim non potest contrahentis intentionem ad casum tam difficilem extendi; præsertim cum pulchritudo multos præ aliis naturæ donis trahat ad amorem, & animi conjunctionem pro Sponsalibus requisitam. 2º. Sponsa deturpata, quæ prius placuit, displicebit, ergo periculum erit, nè Sponsus fidem frangat, aliisque amoribus inhiet, ad quæ mala*

mala avertenda Sponsalium rescissio optimum medium erit. 30 Quia deformitas talis est mutatio, quæ ab initio existens impedivisset Sponsalia : ergo juxta dicta n. 22. etiam superveniens eorum executionem impediet.

102. Ob. 10. *Cap. Quemadmodum de Furejur.* solum dicit : Sponso concedi jus resiliendi, si Sponsa fiat deformis amissione oculi, nasi, aurium, vel alia membrorum mutilatione; vel si quid ei turpius eveniret. ergo alia deformitas non sufficit. *Conf.* Quod est uni causa sufficiens resiliendi, est etiam alteri, ut patet in fornicatione, paralyfi &c. ergo si Sponsus resilire potest ob deformitatem Sponsæ, pariter hæc resilire poterit ob deformitatem Sponsi, quod tamen vix concedetur.

103. R. cum Paulo Zachia ex Sanchez, quòd deformitates illo *cap.* adductæ, tantum exempli gratiâ ponantur, & ideo Regulam non arctent, quin ad alias extendatur : quamvis fateat à Pirrhing, Zoësius, Engel & quibusdam aliis Capitulum cum prædicta limitatione accipi; ex rationibus tamen Conclusionis cum pluribus Authoribus extendendum est. Unde R. 2º. In illo Capitulo tantum poni deformitates, quæ tum Sponso, tum Sponsæ essent sufficiens ratio resiliendi à comparte : pro Sponsa autem non videtur pro causa recedendi sufficere sola deformitas Sponsi sinè membri mutilatione, nisi esset extraordinaria, & tanta, ut horrorem pareret, ut *Cominck* notat. Ad *Conf.* R. N. Antec. universaliter sumptum; nam juxta dicta n. 15. propter oscula, & amplexus Sponsæ potest Spon-

Sponsus eam deserere, quod jus probabilius negatur Sponsæ. R. 20. D. Antec. Si in utroque censeatur esse causa gravis Conc. secus N. Antec. D. etiam Conseq. Poterit etiam Sponsa resilire propter extraordinariam deformitatem Sponsi, quæ horrorem pariat C. propter ordinariam N. Conseq. Nam teste *Coninck, Dicastillo, Pirrhing, König &c.* pulchritudo corporis in viris non ita curatur, sed animi: unde stibium, & fucus in fœminis tolerata, virum potius deturpant, quàm ornent.

104. Ob. 20. Ex conclusione sequeretur Sponsalia facile rumpi posse ob quamlibet infirmitatem deturpantem; cum tamen eorum gravis sit obligatio, adeoque non tam facile rumpenda. R. N. seq. Nam requiritur deformitas stabilis, & quidem talis, quæ non solius Sponsi, sed Judicis arbitrio sit magna, ut Sponsæ antea formosæ species non censeretur amplius apta absterrevirum à fornicatione cum alia, teste *Ulung*: præsertim autem eo casu deformitas sufficiens causa dissolutionis est, quo Spogæ mediocris, ac plebejæ conditionis formosa facies in Sponso divite, ac Illustri vel nobili familia prognato sola amoris causa extitit, ut *König* annotat n. 77. de Sponsal.

105. Ob. 30. Frequenter viri etiam turpibus fœminis jungi solent, ergo turpitude earum non est sufficiens causa resiliendi à Sponsalibus. R. 10. indirectè: Etiam sæpe prostitutis junguntur, & tamen fornicatio est causa sufficiens. R. 20. Solent jungi turpibus, si dotes aliæ easdem

com-



commendent C. si aliæ desint N. Antec. D.  
etiam Conseq. ergo turpitude præcognita à  
Sponso non est causa sufficiens C. superveniens,  
si prius Sponsa præcipuè propter formam dele-  
cta erat, N. Conseq.

106. Ob. 40. Forma aliunde bonum valde  
fragile est. ergo non meretur eam æstimationem,  
ut ob ejus jacturam rumpantur Sponsalia. R.  
Etiam alia naturæ, & fortunæ bona citò eva-  
nescunt, & tamen mutatio circa illa dat justam  
causam rumpendi Sponsalia. R. Est bonum  
fragile, sed tamen potens amoris incentivum,  
& efficax ad fidei conjugalis conservationem  
procurandam, ideoque sæpe præ divitiis  
æstimatum C. secùs N. Antec.  
& Conseq.



Quæ-

QUÆSTIO X.

*An post Sponsalia inita, pars una notabiliter dives, aut nobilis effecta, possit ab altera jam impari licite resilire?*

*Ex num. 26.*

107. **I**Ta sentit *Iljung Tr. 6. D. 9. num. 29* *secutus Amicum, item Hartadus; Perez, P. Wex. Patritius Sporer cum Gobat, & Tamburino ait: interponat quis iudicium me sapientior. Negativam sequitur Sanchez l. 1. D. 59. n. 7. Palaus vocans ferè certam D. 1. de Sponsal. p. 28. num. 5. Pirrhing n. 64. König n. 78. super tit. de Sponsal. citans Bonacinnam & Coninck. & ita sentiunt Doctissimi Neoterici, inquit Sanchez. & hæc probatur 1. Pars altera non est facta deterior. ergo non debet jure suo privari propter divitias, aut nobilitatem comparti supervenientem. 2. Quando Petrus equum Paulo vendit 100. florenis, non potest Petrus à contractu resilire, si repentè equorum pretium notabiliter crescat; sicut nec vicissim Paulo resilire fas est, si decrescat: quia pretium justum attendendum tempore, quò celebratur contractus. l. 8. in fine C. junctâ Gloss. de rescind. vend. ut non sit attendendum.*

dum , quod postea accedit , vel decedit : quia est per accidens , nec concernit contractum , inquit *Zoësius super ff. de rescind. Vendit.* ergo à pari. Alia paritas est in nummis v. g. aureis , quos si in certo numero , & specie , vel in individuo , quis pactus esset , non teneretur postmodum plures aut alios dare , si extrinsecè eorum pretium decresceret.

108. Ob. 1. Tali casu pars manens pauper , aut ignobilis , notabiliter mutata est , & saltè respectivè facta deterior. ergo potest deseri ; sicut si fieret notabiliter deformior , juxta *Quest. preced. R. D.* Antec. est mutata extrinsecè , & respectivè , respectu , & mutatione in se non fundatâ , ità ut ex parte sua nec inculpabilem causam det mutationis , nec partem pauperiorem faciat C. est mutata , intrinsecè , respectu in se fundato , N. Antec. & Conseq. ejusque paritatem : quia per deformitatem mutatur in se , & intrinsecè , & absolute. ergo sicut Sponsa resilire non potest , si post morbum ( ut aliquando accidit ) evadat formosior , ità nec resilire poterit pars facta ditior.

109. Ob. 2. Executio Sponsalium parti opibus auctæ notabiliter durior accidit , nec unquam illa contraxisset , si prævidisset eas opes. ergo competit ei jus resiliendi.

R. Du-

¶ Durior accidit per accidens, in quantum non potest jam contrahere cum ditioꝛe C. per se, & causâ per compartem datâ N. Antec. & Conseq. Alîs dicam Sponsalia etiam rumpi posse, quotiescunque se offerrent locupletiora; vel quòd poterit contractus venditionis rescindi quotiescunque crescit valor mercium.

110. Ob. 3 Inæqualitas Sponsorum, qualis hic intercederet, causare solet infelices exitus nuptiarum, odis, & contemptus pauperis: ergo sufficiens causâ est, ad dirimenda Sponsalia, *arg. C. Requisivit. 17. de Sponsal. R. 1. D. Conseq.* ergo est sufficiens causa respectu pauperis, cui resilire erit licitum (imò teste Sporer acceptâ aliquâ recompensatione etiam expediens) si ejusmodi incommoditates prævideat C. respectu recenter divitis N. hic enim injuriam facit, si non stet promissis, aut Sponsæ moestus fiat. *R. 2. D. Anteced.* Inæqualitas antecedens causat illos infelices exitus C. superveniens, subdistinguo: per accidens, & aliquando irrationabiliter C. per se, & rationabiliter N. Nam pars opibus aucta potius Deo grata esse deberet, quàm cum compartis injuria insolescere.

111. Ob. 4. Valde opulentus; sed opum suarum ignarus, si contrahat Sponsalia cum valde paupere, errore cognito, poterit resilire.

Q 2


ergo


ergo etiam poterit, si divitiæ accrescant: nam  
 juxta n. 14. paria sunt in jure aliquid super-  
 venire, & præcedere ignoranter. R. C. An-  
 teced. N. Conseq. Disparitas est: quia  
 hic nullus error intercedit, sicut in priori ca-  
 su: *errantis, autem, nullus est consensus,*  
*neque voluntas. l. Cum testamentum 8.*  
*l. Non idcirco. 9. C. de Fur. &*  
*facti ignor.*

A. M. D. G.



: nam  
super-  
C. An-  
quia  
ori ca.  
ensus,  
m 8.









Kriegler  
de  
Sponsalib.

Th

2223